τίθησι χώρᾳ, καθάπερ ἐφ' ᾧ πρὸς Μέδοντα ποιεῖ
λόγῳ, καὶ ἐν τῷ πρὸς Ἀγνόθεον, καὶ ἐν τῇ πρὸς
τὰς δημότας ἀμφισβητήσει περὶ τῶ χωρίε, καὶ ἐν
42. ἄλλοις συχνοῖς· τοτὲ δὲ, μερίσας αὐτὰς εἰς τὰ [55]
κεφάλαια, καὶ παρ' ἕκαστον αὐτῶν τὰς πίστεις πα-
ρατιθεὶς [56], ἐκμηκύνει τε μᾶλλον, καὶ ἐκβαίνει τὸ
τῆς διηγήσεως σχῆμα, τῷ συμφέροντι χρώμενος.
ταύτης ἔστι τῆς ἰδέας ἥ τε πρὸς Ἕρμωνα ὑπὲρ τῆς
ἐγγύης ἀπολογία· καὶ ἡ πρὸς Εὐκλείδην ἀμφισβή-
45. τησις ὑπὲρ τῆς τῶ χωρίε λύσεως· καὶ ἡ ὑπὲρ Εὐ-
φιλήτε πρὸς τὸν Ἐρχιέων [57] δῆμον ἔφεσις. ἐν γὰρ
δὴ τοῖς λόγοις τούτοις [58] μακροτέρας τὰς διηγήσεις

 ἔσας,

54. προλαμβανέσας] praecipientes, occupantes. Sic dedi de meo, pro vulgari προκαταλαμβ. v. p. 109. 6.

55. αὐτοῖς τὰ κεφάλαια] pro αὐτοῖς legendum videtur αὖθις, vel αὐτά. SYLBVRG.

Vulgarem lectionem αὐτοῖς correxi de meo sic, vt inde efficerem αὐτὰς εἰς τὰ κ. eas, nempe τὰς διηγήσεις enarrationes rerum gestarum, diuidens in certa quaedam capita, vel certos locos.

56. παρατιθεὶς] oratio si sibi constare, h. e. si participium hoc priori μερίσας respondere quoad tempus debet, leg. erit παραθεὶς in aoristo. non bene conuenit in eadem constructione praesenti cum aoristo.

57. Ερχιέων] in exemplari est Ερχιέον: errore ambiguo. sed veriorem lectionem esse Ερχιέων quam Ερχιαῖον, patet ex pag. seq. v. 41. nota etiam ἔφεσιν eodem in loco exponi τὸ εἰς τὸ δικαστήριον προκαλεῖν. SYLB.

58. τούτων] forsan rectius τοῖς λόγοις τούτοις, eodem casu. SYLBVRG.

ἔσας, ἐχ ἅμα τίθησιν ὅλας, ἀλλὰ κατὰ μέρη διαλαμβάνων, ἐφ' ἑκάστῳ κεφαλαίῳ τὰς τε μάρτυρας ἐπάγεται, καὶ τὰς ἄλλας παρέχεται πίστεις, δεδοικὼς, παρ' ὅσα [59] γ' ἔν ἐμοί δοκεῖ, μὴ 09.1· δυσπαρακολούθητος γένηται, διὰ τὸ πλῆθος τῶν κεφαλαίων, ὁ λόγος· καὶ πολλάκις αἵ τε [60] πίστεις εἰς ἓν χωρίον ἅπασαι συναχθεῖσαι, πολλὰ καὶ περὶ πολλῶν ἔσαι πραγμάτων, μὴ συνταράξωσι [61] τὴν 3. σαφήνειαν· τοιγάρτοι μετὰ τὰς διηγήσεις, τὰς

ἔτως

τέτοις, quod Sylburg recte malebat, in Bodleiano quoque legi cum teſtaretur Hudſonus, praetuli vulgari lectioni τέτων.

59. δεδοικὼς γὰρ, ὅσα γ' ἔν ἐμοὶ δοκεῖ] vſitatius ὡς γῶν ἐμοὶ δοκεῖ SYLBVRG.

Ego dedi de meo δεδοικὼς, παρ' ὅσα — quod idem eſt, atque καθ' ὅσον — ſecundum ea certe, quae mihi quidem vera videntur eſſe. Verum ſi eſt, quod Hudſonus teſtatur, de quo cur dubitetur cauſae nil video, coniecturam Sylburgianam in Bodleiano libro legi, conſtat iam perſpicue, id quod iam dudum ante ſuſpicatus fueram, quam ad h. l. deferrer legendo, codicem illum interpolatum ex exemplo Sylburgiano, cum in ea coniecturae legantur Sylburgianae, interdum perſpicue falſae.

60. αἵ τε πίστεις] aut τε locum non ſuum obtinet, aut ante haec vocabula deeſt parum quid. Si poſterius hoc probatur, leg. erit — ὁ λόγος, ὃ [vel ὡς] καὶ πολλάκις συμβαίνει. ſin autem haec coniectura repudietur, τε erit in finem verſus transferendum, et ſic leg. καὶ πολλάκις αἱ πίστεις — πολλαί τε καὶ περὶ πολλῶν — Ego vero priorem rationem praehabebo.

61. συνταράξωσι] pendet hoc e praemiſſo δεδιὼς.

ἕτως ᾠκονομημένας, ἐκ ἔτι τὰς προηγμένας ἀποδείξεις πολλοῖς βεβαιῦται λόγοις, ἀδ' ἔστν ὅμοιος τοῖς νέοις τεχνογράφοις, ἀλλὰ τὰς τῶν ἀντιδίκων
6. πίστεις ἀναιρεῖν οἴεται δεῖν. 15. τότε δὲ [62], προκατασκευάζεταί τινα πρὸ τῶν διηγήσεων πράγματα, καὶ προλαμβάνει τὰ μέλλοντα, πιστοτέρας αὐτὰς [63], ἢ κατ' ἄλλό τι χρησιμωτέρας ποιήσειν οἰόμενος, ὡς ἐν τῇ κλήσει [64] τῇ πρὸς Αριστογείτονα καὶ Ἀρχιππον εὑρίσκεται πεποιηκώς, ἐν ᾗ κλήρου
9. τις ἀμφισβητῶν, ἀδελφὸς ὢν τοῦ τελευτήσαντος, προσκαλεῖται [65] τὸν ἔχοντα τἀφανῆ χρήματα εἰς

62. τότε δὲ] forsan rectius τοτὲ δὲ: vel τότε δή. SYLBVRG.

Bene habet vulgata. *tunc autem.* h. e. in eiusmodi loco, cum id agit Isaeus, cum hunc instituit modum tractationis.

63. πιστοτέρας αὐτὰς] scil. τὰς διηγήσεις. Sed videtur aut ἕτω πιστοτέρας αὐτὰς leg. esse, aut πιστοτέρας ἕτως αὐτὰς. sperans hac ratione se effecturum, vt narrationes rerum gestarum sibi fiant credibiliores.

64. λύσει] Henr. Valesium ad Harpocr. p. 140. emendasse κλήσει, cum me Hudsonus admonuisset, nullus dubitaui emendationem eius vulgari lectioni praeferre. v. paulo post παραγράφεται τὴν κλῆσιν. vnde constat voc. κλῆσις interdum quoque, tametsi fateor id rarius fieri, pro προσκλήσει [scil. πρὸς τὸς δικαστὰς] vsurpari.

65. προσκαλεῖται] rectius προκαλεῖται, vt v. 41 et 44. atque ita etiam προκλήσεις ἀναγινώσκει v. 17. SYLBVRG.

Res tam liquida mihi non videtur, atque visa fuit Sylburgio, et loci ab eo prolati, aut nil probant, (il-

ἐμφανῶν [66] κατάσασιν· ὁ δὲ τῷ κλήρῳ κρατῶν, παραγγάφεται τὴν κλῆσιν, δεδόσθαι λέγων ἑαυτῷ τὰ χρήματα κατὰ διαθήκας. διττῆς δὲ τῆς ἀμφισβητήσεως ὑπαρχούσης, τῆς μὲν. περὶ τῷ γεγονέναι τὰς διαθήκας, ἢ μή· τῆς δὲ, τῶν διαθηκῶν ἀμ- 12.
φισβητουμένων ἤδη, τίνα δεῖ τῷ κλήρῳ κρατεῖν· πρῶτον ἀποδοὺς τὸν ὑπὲρ τῶν νόμων λόγον, καὶ ταῦτα [67] ἀποδείξας τὸ μέρος [68], ὡς ἐ δεῖ τὸν ἐπίδικον κρατεῖσθαι κλῆρον πρὸ δίκης, ἕτως ἐπὶ τὴν διήγησιν ἔρχεται, δι' ἧς ἀποδείκνυσιν, ἕτε [69] γε- 15.
γενη-

lius quidem, quem e verſu 17. excitauit, alia ratio eſt, et huc nil pertinet,) aut ei repugnant, v. annotationem noſtram n. 94. Ego προσκαλεῖται tantiſper tenebo, praeſertim cum κλῆσιν inſequatur, quod cum idem ſignificare poſſit atque πρόσκλησιν, tum nequit idem ſignificare atque πρόκλησιν.

66. ἐμφανῶν] ſic de meo dedi, pro vulgari ἐμφανῆ.

67. ταῦτα] ſingulariter legendum videtur καὶ τοῦτο: vel τὸ μέρος ellipſin habet praepoſitionis κατά. SYLBVRG.

Mihi videtur leg. καὶ μετὰ ταῦτα. primum expoſuerat Iſaeus illa oratione vniuerſum iuris attici titulum de hereditatibus, deinde ſtrictius, vel in ſpecie, vt vulgo inſurpant, tractauerat illum locum, donec lis de haereditate nondum diſceptata ſit, nemini licere eam ſibi vindicare, ſed ſequeſtrandam eam eſſe.

68. τὸ μέρος non eſt aduerbiale, ſed idem valet atque τοῦτο τὸ μέρος, vel τοῦτον τὸν τόπον. qui locus autem is ſit, ipſe ſtatim ſubiicit, ſcil. ὡς ἐ δεῖ τὸν ἐπίδικον κρατεῖσθαι κλῆρον etc.

69. ἕτε] pro ἕτε rectius legemus ἐδὲ: vel membrum hic deeſt. SYLBVRG.

γενημένας ὑπὸ τῦ τετελευτηκότος τὰς διαθήκας. καὶ ἀδὲ ταύτην τὴν διήγησιν ἁπλῶς πως συγρέψας καὶ ἀκαταασκευάγως τίθησιν, ἀλλὰ καὶ ταύτην μακροτέραν ἔσαν, ἀποτομαῖς τισι διαλαμβάνει, καὶ καθ' ἕκαγον εἶδος μάρτυρας ἀναβιβάζεται, καὶ
18. πρακλήσεις ἀναγινώσκει, καὶ συνθήκας παρέχεται, τεκμηρίοις [70] τε καὶ σημείοις καὶ τοῖς ἐκ τῶν εἰκότων ἐλέγχοις ἅπασι χρῆται. πολλὰς δ' ἂν ἔχοιμι καὶ ἄλλας παρασχέσθαι διηγήσεις, πρὸς τὸ συμφέρον ἀκονομημένας ὑπὸ τῦ ῥήτορος, προκαταασκευαῖς, παρασκευαῖς, μερισμοῖς, χωρίων ἀλλα-
21. γαῖς, πραγμάτων μεταγωγαῖς, τῷ τὰ κεφάλαια ἀνεγράφθαι, τῷ μὴ κατὰ τὰς χρόνας τὰ πραχθέντα [71] εἰρῆσθαι, τῷ μὴ πάντα [72], μηδ' ἂν ὡς φύσιν εἶχε πραχθῆναι, μηδ' ὡς ἂν ἰδιώτης τὶς εἴ-

πoι

Vel etiam ſuſpicioni locus ſit leg. eſſe ἀδέποτε γεγ.

70. τεκμηρίοις] malim καὶ τεκμ.

71. τὰ πραχθέντα] Bodlei. τὰ πράγματα.

72. τῷ ὡς μὴ πάντα μηδαμῶς φύσιν — ſic vulgatae] corrupta ſunt poſtrema tria cola. verior lectio haec videtur eſſe, τῷ μὴ πάντα μηδαμῶς ὡς φύσιν εἶχε πραχθῆναι, μηδ' ὡς ἂν ἰδιώτης τις εἴποι, λέγεσθαι μετρίως, καὶ μυρίοις ἄλλοις τοιούτοις τρόποις. SYLB.

Locum hunc, partim Sylburgii, partim meo marte, ſic correxi, τῷ μὴ πάντα, [ſubaudi a communi εἰρῆσθαι, e praemiſſis, aut λέγεσθαι ex inſequentibus] μηδ' ἂν ὡς φύσιν εἶχε — In poſtremis his cernitur vocabulorum traiectio, quorum ordo naturae rerum et vſui loquendi conuenientior fuiſſet hic μηδ' ὡς ἂν φύσιν εἶχε.

ποι, λέγεσθαι, μὴ μετρίως[73], μυρίοις ἄλλοις τοιούτοις τρόποις. ἀλλ' ὅτε χρόνον ἱκανὸν ἔχω περὶ πασῶν[74] 24.
λέγειν, ἐκδιηγούμενος εὐθὺς ἐφ' ἑκάστης τὴν τέχνην,
ὡς ἐβουλόμην ἄν· ὅθ' ὁ πρὸς τὰς ἐπισαμένας τὰ
πράγματα λόγος, ἐν τῷ πλήθει τῶν παραδειγμά-
των τὸ πιστὸν ἔχει, ἀλλ' ἀρκεῖ τοῖς τοιούτοις καὶ ἡ
βραχεῖα δήλωσις. 17. ἐρῶ δὲ κεφαλαιωδῶς, περὶ[75] τα-
ύτης τῆς ἰδέας, ἣν ἐγὼ δόξαν ἔχω, καὶ τίνι δια- 27.
φέρειν οἶομαι[76] τὸν Ἰσαῖον τῷ Λυσίᾳ. τῷ Λυσίᾳ μὲν
ἄν τις[77] ἀναγινώσκων τὰς διηγήσεις, ἐδὲν ἂν ὑπο-
λάβῃ λέγεσθαι κατὰ τέχνην ἢ πονηρίαν, ἀλλ' ὡς ἡ
φύσις

73. μὴ μετρίως] subaudi e proximo λέγεσθαι. Appellat autem μετρίαν λέξιν illud genus orationis, quo homines vtuntur, non illi quidem literati, neque εἰς κάλλος εἰπεῖν δεδιδαγμένοι. ad orationis exquisitam et exasciatam elegantiam eruditi, verumtamen rursus non ita populariter et impolite loquentes, vt baiuli, sed vt homines medii cuiusdam, mundioris ordinis.

74. πασῶν] redit ad τὰς διηγήσεις.

75. περὶ] malim καὶ περὶ τ. etiam hac de forma, vt scil. de aliis quoque iam ante fecerat.

76. Post οἶομαι videtur καὶνταῦθα deesse. etiam hic, etiam hac in re. in modo puta res gestas enarrandi.

77. ἄν] pro ἂν omnino legendum videtur ἔν, *igitur*. SYLBVRG.

Annotatio leuicula. ἂν iterari. ecquem tandem fugit? Ego equidem vulgata h. l. non offendor. Si quid tamen Sylburgio hic tribuendum sit, quod cuiusque arbitrio permitto, possit ἔν cum ἄν copulari, ad hunc modum. τῷ Λυσίᾳ μὲν ἔν ἄν τις.

φύσις καὶ ἡ ἀλήθεια[78] φέρει· αὐτὸ τοῦτο ἀγνοῶν, ὅτι τῆς τέχνης τὸ μιμήσασθαι τὴν φύσιν αὐτῆς[79]
30. μέγιστον ἔργον ἦν· ἐπὶ δὲ τῶν Ἰσαίου διηγημάτων, τἀναντίον ἂν παθεῖν[80], μηδὲν ὑπολαβεῖν αὐτοφυῶς καὶ ἀπραγματεύτως[81] λέγεσθαι, μηδ' εἴ τινα ὡς ἔτυχε γενόμενα εἰρηται· ἐκ κατασκευῆς δὲ πάντα, καὶ μεμηχανευμένα πρὸς ἀπάτην, ἢ ἄλλην τινὰ κακουργίαν. καὶ τῷ μὲν ἂν καὶ τὰ ψευδῆ[82] λέγοντι
33. πιστεύσειν[83] ἄν· τῷ δὲ, μηδ' ἂν[84] ἀληθεύῃ, χωρὶς

78. καὶ ἡ ἀλήθεια] articulum a Bodlei. abesse, annotauit Hudsonus.

79. αὐτῆς] aut εὐθὺς aut ἄντικρυς malim. *prorsus*, sine controuersia, aut potius αὐτήν.

80. ἂν παθεῖν] Repete tacite οἶομαι. *videtur mihi passurus esse.* Sed quodnam est illud contrarium? statim subiicit μηδὲν ὑπολαμβ. vt nempe opinetur, nihil —

81. ἀπραγματεύτως] sic dedi de meo, pro vulgari αὐτοπραγμ.

82. μὲν, ἂν καταψευδῆ] rectius κἂν ψευδῆ λέγοντι: vel, κἂν ψευδῆ λέγοι, τις πιστεύσειεν ἄν. In sequenti autem membro, quia προσέξειεν vitatum non est, legendum erit προσέξει. Paraphrasin huius loci habemus in ea historiola, quam supra ex Aldina editione percensui, ad pag. 104. ibi enim Λυσίας μὲν, καὶ ὑπὲρ ἀδίκων ἔπεσθε λέγων· Ἰσαῖος δὲ, καὶ ὑπὲρ ἀγαθῶν λέγων, ὕποπτος ἦν. SYLBVRG.

Dedi de meo μὲν ἂν καὶ τὰ ψευδῆ.

83. πιστεύσειν] sic dedi de meo, pro vulgari πιστεύσειεν, ob insequens προσέξειν. apti sunt hi infinitiui ex eodem οἶομαι, vnde παθεῖν quoque versu 30. pendet, item ὑπολαβεῖν.

84. μηδ' ἂν] Bodlei. μηδὲν ἂν. male.

ρὶς ὑποψίας προσέξειν[85]. ἐν δὲ τοῖς ἀποδεικτικοῖς[86] διαλλάττειν ἂν δόξειεν Ισαῖος Λυσίᾳ, τῷ τε μὴ κατ' ἐνθύμημά τι λέγειν, ἀλλὰ κατ' ἐπιχείρημα· καὶ τῷ μὴ βραχέως, ἀλλὰ διεξοδικῶς· μηδὲ ἁπλῶς, ἀλλ' ἀκριβῶς· αὔξειν τε μᾶλλον, καὶ δεινότερα 36. ποιεῖν τὰ πράγματα, καὶ τὰ πάθη ποιεῖν γενικώτερον[87]. ἐν γὰρ δὴ τούτοις οὐχ ἥττον[88] ἐστὶ φανερὸς τῇ Δη-

85. προσέξειν, quod Sylburgio ſuſpectum erat, ſed ſine cauſa, vitio caret. modo teneatur id, de quo modo admonebam, niti id praemiſſo οἶσμαι.

86. ἐπιδεικτικοῖς] legendum videtur ἀποδεικτικοῖς: vt ſupra 90, 33: et 86, 38: praeſertim cum ſupra (104, 14.) dixerit, Iſaeum ſe in vno iudiciali orationis genere exercuiſſe. Pro ἀσφάλειαν, v. 38. non dubitarem legendum eſſe ἀφέλειαν, vt 86, 38. niſi infra in fragmento De Atticorum oratorum characteribus, (164. 41.) huius ipſius Lyſiae dictioni tribueretur ἡ ἀσφάλεια καὶ τὸ ἀκίνδυνον, ſicut contra Thucydidi ἡ νεωτεροποιία καὶ τὸ τολμηρόν. ſiquis tamen vtrobique ἀφέλειαν malit, non multum refragabor: quippe quod ea rectius opponatur τῇ νεωτεροποιίᾳ. SYLBVRG.

Obſecutus ſum, vt par erat, recta monenti. v. ad p. 107. 43. dicta.

87. τὰ πάθη ποιεῖν γενικώτερα] locum hunc tria ſuſpectum faciunt. 1) iteratio vocabuli ποιεῖν, cui parci poterat, vt modo praemiſſo. Facili negotio poterat ſubaudiri. 2) cum recte dicatur τὰ πράγματα ποιεῖν δεινότερα *res oratione facere atrociores*, minus tamen recte dicetur τὰ πάθη ποιεῖν. melius conueniret ἐμποιεῖν. affectus ſeu perturbationes animi, non ποιοῦνται, ſed ἐμποιοῦνται *iniiciuntur*. 3) πάθη γενικώτερα abhorrent ab hoc loco, quo non affectus generaliores

τῇ Δημοσθένες τέχνῃ τὰς ἀφορμὰς δεδωκὼς, ἀλλ' ἐ τὴν Λυσίᾳ διώκων ἀσφάλειαν [89], ὡς ἔγε τε ἄλλων [90] ἐστὶ λόγων, μᾶλλον δὲ ἐκ πάντων τῶν γρα-
39. φέντων [91] ὑπ' αὐτῦ τεκμήρασθαι. εἰ δέ τι δεῖ [92] καὶ παραδείγμασι χρῆσθαι, μή τις ἀναπόδεικτα δόξῃ λέγειν ἡμᾶς, ποιήσω καὶ τῦτο [93] προχειρισάμενος τὸν ὑπὲρ Εὐφιλήτε λόγον, ἐν ᾧ τὸν Ερχιέων δῆμον εἰς τὸ δικαστήριον προσκαλεῖταί [94] τις τῶν ἀπο-

opponuntur τοῖς εἰδικωτέροις ſpecialioribus, ſed ſententia poſtulat vocabulum γενναιότερα, aut νεανικώτερα. fortiores. robuſtiores, acriores, violentiores affectus. quid ſi ergo ſtatuamus leg. eſſe καὶ τὰ πάθη ἐμποιεῖν γενναιότερα, aut νεανικώτερα?

88. ἐχ ἧττον] ſubaudi ἢ ἐν τοῖς ἄλλοις.

89. ἀσφάλειαν] Ambigebat modo Sylburgius, vtrum hoc voc. ſeruandum cenſeret, an ἀφέλειαν ei ſufficiendum. anceps vtique haec eſt quaeſtio, et arduum iudicium. eſt vtrique lectioni ſua laus, ſuum pondus. conſultius tamen ſine dubio eſt, in re dubia nil moueri.

90. Poſt ἄλλων addendum videtur καὶ πολλῶν.

91. τῶν γραφέντων] videtur ὄντως vel ἀληθῶς interponendum. Ferebantur enim multae ſpuriae.

92. εἰ δέ τι] hoc malim, quam vulgatum εἰ δ' ἔτι

93. ποιήσω καὶ τῦτο] h. e. χρήσομαι παραδείγματί τινι. proponam aliquod exemplum.

94. προκαλεῖται] non hic modo, ſed etiam paulo poſt verſu 44. et iterum verſu 46. ſibilantem literam, quae a vulgatis aberat, periculo meo ingeſſi. προκαλεῖσθαι ab his locis alienum, (differunt enim quoad ſententiam haec duo vocabula multum inter ſe) ſignificat ſponſionem alicui deferre. προσκαλεῖσθαι autem,

ἀποψηφισθέντων, ὡς ἀδίκως τῆς πολιτείας ἀπελαυνόμενος. ἐγράφη γὰρ δή τις ὑπὸ τῶν [95] Ἀθη- 42.
ναίων νόμος, ἐξέτασιν γενέσθαι τῶν πολιτῶν κατὰ δήμους· τὸν δὲ ἀποψηφισθέντα ὑπὸ τῶν δημοτῶν, τῆς πολιτείας μὴ μετέχειν· τοῖς δὲ ἀδίκως ἀποψηφισθεῖσιν, ἔφεσιν εἰς τὸ δικαστήριον εἶναι, προσκαλεσαμένοις τοὺς δημότας· καὶ ἐὰν τὸ δεύτερον ἐξ 45.
ελεγχθῶσι [96], πεπρᾶσθαι αὐτούς, καὶ τὰ χρήματα εἶναι δημόσια. κατὰ τοῦτον τὸν νόμον ὁ Εὐφίλητος προσκαλεσάμενος τοὺς Ερχιέας [97], ὡς ἀδίκως κατα-

quod horum locorum ſententia poſtulat, in ius citare, diem dicere, ſignificat.

95. ἐγράφη γὰρ δή τις ὑπὸ τῶν ἀθηναίων νόμος] Res mira et inaudita, γραφῆναι νόμον ὑπὸ τοῦ δήμου. Populus legem non γράφει, ſed τίθεται. Auctor autem legis, qui eam rogat, γράφει, non τίθεται. Multum inter ſe diſtant γράφειν νόμον, et τίθεσθαι. qui legem populo proponit, laudat, commendat, ei auctor ſciſcendi fit, is γράφει. populus vero, cum ferentis oratione adductus eam ſancit, et ratam eſſe iubet, atque tabulis publicis inferri, τίθεται. Autergo dicendus erit Dionyſius in vſu vocabulorum proprio et rituali erraſſe, aut potius leg. ἐγράφη γὰρ δή τις ὑπό τε τῶν ἀθην. v. ſcripta fuerat lex ab Athenienſium neſcio quo.

96. ἐξελεγχθῶσι] ſcil. παρεγγεγραμμένοι, καὶ μὴ ὡς ἀληθῶς ὄντες αὐτοὶ ἐξ αὐτῶν.

97. Ερχιέας] in exemplari eſt τοὺς ἀρχιερέας: perperam. nam Ερχιέας legendum eſſe, ſatis manifeſtum eſt ex praecedentibus, v. 41: et ex 108. 45. Erchiam autem fuiſſe pagum Atticum ſub tribu Aegeide,

καταψηφισαμένης αὐτῆ, τὸν ἀγῶνα τόνδε [98] διατίθεται. πρεσείρηται μὲν δὴ τὰ [99] πράγματα ταῦτ'
110.1. ἀκριβῶς [200], καὶ πεπίστωται διὰ τῶν μαρτύρων. οἷς δὲ βεβαίας βέλεται ποιῆσαι τὰς μαρτυρίας, τάδ' ἐστίν· ὡς μὲν ἐγὼ δόξης ἔχω, πάντ' ἀκριβῶς [1] ἐξειργασμένα· κρινέτω δὲ ὁ βελόμενος, εἰ τὰ προσ-
3. ήκοντα ἔγνωκα περὶ αὐτῶν· 17. »Ὅτι μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἀδελφὸς ἡμῖν ἐστιν ἁπάντων ὁ Εὐφίλητος, οὐ μόνον ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν συγγενῶν ἁπάντων ἀκηκόατε μαρτυρούντων. σκέψασθε δὲ πρῶτον τὸν πατέρα ἡμῶν, τίνος εἵνεκεν ἂν ψεύδοιτο, καὶ

τοῦτον

post Harpocrationem et Suidam docuit etiam Sigonius, ac mentio eiusdem etiam apud Demosth. et Aeschinem. Stephani Ερεχθία incertum pro eodemne an diuerso. SYLBVRG.

in MS. Bodl. corrupte ἀρχιέας. quomodo et apud Stephanum Byzantinum, et alios, vt annotauit Meursius, quem videbis in libello de populis atticis, v. Ερχιεία. HVDSON.

98. Post τόνδε videtur ἕτω addendum, aut alias illi τόνδε sufficiendum esse τῇδε *hac ratione*.

99. πρεσείρηται] significat Dionysius, Isaeum in huius orationis exordio rem gestam ex ordine prius enarrauisse, quam ad causae per testimonia argumentorumque reliquorum locos comprobationem accederet.

200. ταῦτ' ἀκριβῶς] interponendum videtur αὐτῷ. Isaeo puta.

1. πάντ' ἀκριβῶς] malim πάνυ ἀκριβῶς, aut si malis, παντακριβῶς, vno vocabulo, vt sunt adiectiua et aduerbia a παντ exordientia, et quorum partem primam πάντα efficit, vt v. c. παντάγαθος.

τῦτον μὴ ὄντα αὐτῷ υἱὸν εἰσποιοῖτο[2]. πάντας γὰρ εὑρήσετε τὸς τὰ τοιαῦτα πράττοντας, ἢ ἐκ ὄντων 6. αὐτοῖς γνησίων παίδων, ἢ διὰ πενίαν ἀναγκαζομένους, ξένους ἀνθρώπους εἰσποιεῖσθαι, ὅπως ὠφελῶνταί τι ἀπ' αὐτῶν δι' αὐτὸς Ἀθηναίων γεγονότων. τῷ τοίνυν πατρὶ τῦτων ἑτέρου ὑπάρχει γνήσιοι μὲν γὰρ αὐτῷ ἡμεῖς δύο υἱεῖς ἐσμέν. ὥστε ἐκ ἄν γε 9. δι' ἐρημίαν τῦτον εἰσποιοῖτο. ἀλλὰ μὴν ἐδὲ τροφῆς τε καὶ εὐπορίας τῆς παρὰ τῦτε δεόμενος. ἔστι[3] γὰρ αὐτῷ βίος ἱκανὸς, καὶ χωρὶς τῦτε μεμαρτύρηται ὑμῖν[4] τῦτον ἐκ παίδων τρέφων καὶ ἀσκῶν[5], καὶ εἰς Φρέατορας εἰσάγων. καὶ ταῦτα ἐ μικρὰ δαπανήματά ἐστιν. ὥστε τόν τε πατέρα ἡμῶν ἐκ εἰκός ἐστιν, 12. ὦ ἄνδρες δικασταὶ, μηδὲν ὠφελέμενον, ἔτως ἀδίκως πράγμα-

2. εἰσποιοῖτο] Bodl. et hic, et paulo post versu 9. dat εἰσεποιεῖτο.

3. ἔτι γὰρ αὐτῷ ἱκανὸς καὶ —] Sic exhibent h. l. vulgatae. Ego vero ad hunc modum sarsi, correxi et distinxi ἐστὶ γὰρ αὐτῷ βίος ἱκανὸς, καὶ — Est enim ei [patri nostro] victus idoneus, et praeterea hi testes confirmarunt, patrem nostrum aluisse hunc fratrem nostrum, pro quo contendimus.

4. ὑμῖν] pro ὑμῖν sententia postulare videtur *βίος*, *vitae subsidia*, *opes*. quin et alia hic deesse videntur, quae non tantum nulla ex eo percepta commoda, sed etiam sumptus in eum factos significent. SYLBURG.

Bene habent ὑμῖν, et, si quid mutandum sit, quod nego esse, malim ἐν ὑμῖν. *coram vobis*.

5. ἀσκῶν] tantum absum, vt reprehendam hoc v., vt laudem potius, tametsi hac in re διδάσκων sit vsitatius. v. p. 168. 5.

πράγματι ἐπιχειρῆσαι. ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐμέ γε οὐθεὶς
ἀνθρώπων ὅτως τελέως ἂν ἄφρονα ὑπολάβοι,
ὥστε τότῳ μαρτυρεῖν τὰ ψευδῆ, ὅπως τὰ πατρῷα
15. διὰ πλειόνων διανείμωμαι. καὶ γὰρ οὐδ' ἀμφισβητῆσαί μοι ἐξουσία γένοιτ' ἂν ὕστερον [6], ὡς οὐκ ἔστιν
ἀδελφὸς ὅτος ἐμοῦ. οὐθεὶς γὰρ ἂν ὑμῶν τὴν φωνὴν [7]
ἀνάσχοιτ' ἂν ἀκούων, εἰ νῦν [8] μὲν, ὑπόδικον ἐμαυτὸν καθιστὰς, μαρτυρῶ [9] ὡς ἔστιν ἀδελφὸς ἡμέτε-

Z. 2 ρος·

6. γένοιτ' ἂν ὕστερον] subaudi εἰ τότῳ νῦν τὰ ψευδῆ μαρτυροῖμι. vel ἐμαρτύρην. Si, poſtquam nunc eſſem teſtatus, hunc eſſe fratrem meum, falſoque id eſſem teſtatus, deinde inciderent eiusmodi tempora, vbi mea intereſſet negare hunc eſſe fratrem meum, tum non liceret mihi id facere.

7. ὑμῶν τὴν φωνὴν] Num ὑμῶν ἐμοῦ οὐδὲ τὴν φωνὴν nemo veſtrum toleraturus ſit meam, ne vocem quidem, nedum vt contentionem meam probet, eamue ſecundet.

8. εἰ νῦν μὲν] primam particulam, qua vulgatae carent, addidi auctore Sylburgio.

9. καθιστὰς μαρτυρῶ] Sylburg legi malebat μαρτυροίην ob mox inſequens φαινοίμην. poſſit quoque legi μαρτυροῖμι, ὥς ἐστιν. item μαρτυροῖμι, ὥσπερ καὶ μαρτυρῶ, ὥς ἐστιν — Nec non, quod paene malim, εἰ νῦν μὲν ἀπέλθοιμι ὑπόδικον ἐμαυτὸν καθιστὰς, μαρτυρῶν in Participio, id eſt διὰ τοῦ μαρτυρεῖν. Aut denique nihil aliud videri poſſit mutandum, praeterquam μαρτυρῶ cum participio μαρτυρῶν. quod ſi fiat, tum φαινοίμην ex inſequentibus tacita mente ſit huc reuocandum et ſubaudiendum pone εἰ νῦν μὲν — quae ratio tametſi paulo durior et inſolentior videri queat, neſcio tamen an ſint futuri haud pauci, quibus probetur.

ρος· ὕστερον δὲ φαινοίμην τούτοις ἀντιλέγων. ὃ μόνον τοίνυν ἡμᾶς, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰκὸς ἦν ταληθῆ 18.
μεμαρτυρηκέναι, ἀλλὰ καὶ τὰς ἄλλας συγγενεῖς. ἐνθυμήθητε γὰρ πρῶτον μέν, ὅτι οἱ τὰς ἀδελφὰς ἡμῶν ἔχοντες, οὐκ ἂν ποτε ἐμαρτύρουν περὶ τούτου τὰ ψευδῆ· μητρυιὰ γὰρ ἡ τούτου μήτηρ ἐγεγένητο ταῖς ἡμετέραις ἀδελφαῖς. εἰώθασι δέ πως, ὡς ἐπὶ 21.
τὸ πολύ, διαφέρεσθαι ἀλλήλαις αἵ τε μητρυιαὶ καὶ αἱ πρόγονοι[10]. ὥστε εἰ ὅτος ἐξ ἄλλου τινὸς ἀνδρὸς ἦν τῇ μητρυιᾷ, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ ἡμετέρου πατρὸς, οὐκ ἂν ποτε, ὦ ἄνδρες δικασταί, τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας αἱ ἀδελφαὶ μαρτυρεῖν εἴασαν καὶ ἐπέτρεψαν[11]. καὶ μὴν οὐκ ἂν ὁ θεῖος[12] πρὸς μητρὸς ἡμῖν[13] ὤν, τούτῳ δὲ 24.
ἀδὲν

10. vulgatae dant καὶ οἱ πρόγονοι in genere masculino. ego satius duxi, masculino οἱ foemininum αἱ sufficere, quod et filiabus, de quibus agitur, et praemisso ἀλλήλαις videretur conuenientius.

11. εἴασαν καὶ ἐπέτρεψαν] Estne futurus, cui haec tautologia probetur? estne, cui ab Isaeo ipso profecta videatur? vbi locorum exempla prostant horum duum verborum ἐᾶν et ἐπιτρέπειν inter se sic copulatorum, vt hic sunt? ergone καὶ ἐπέτρεψαν amputanda sunt? an potius legendum erit εἴασαν; ἢ καὶ μᾶλλον ἂν ἀπέτρεψαν. *an potius eos etiam dehortaturae fuisse videntur?* An sic leg. εἴασαν, ἀλλὰ καὶ ἀπέτρεψαν aliquanto breuius?

12. ὁ θεῖος] et articulus ὁ, et insequens particip. ὤν, produnt pone articulum deesse nomen viri.

13. ἡμῖν] id est τῆς ἡμετέρας μὲν ἔσης μητρὸς, ἀδαμῶς δὲ τούτου. a parte matris, eius puta, quae nos peperit, fratres natu maiores, non hunc, fratrem

ἐδὲν προσήκων, δήπε τῇ τότε μητρὶ ἠθέλησεν ἂν, ὦ ἄνδρες δικασαὶ, μαρτυρῆσαι ψευδῆ μαρτυρίαν, δι' ἣν ἡμῖν γίνεται βλάβη περιφανὴς, εἴπερ ξένον ὄντα τοῦτον εἰσεποιεῖμεν[14] ἀδελφὸν ἡμῖν αὐτοῖς. ἔτι τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασαὶ, πρὸς τούτοις πῶς ἄν τις[15] 27. ὑμῶν[16] καταγνοίη ψευδομαρτυρίαν Δημαράτε τουτί, καὶ Ἡγήμονος, καὶ Νικοστράτε· οἳ πρῶτον μὲν ἐδὲν αἰσχρὸν ἐδέποτε φανήσονται ἐπιτηδεύσαντες, εἶτα δ'[17], οἰκεῖοι ὄντες ἡμῖν, καὶ εἰδότες ἡμᾶς ἅπαντας[18], μεμαρτυρήκασιν Εὐφιλήτῳ τούτῳ

noſtrum natu minorem, a parte patris quidem fratrem, non autem a parte matris item. Vſi enim patre cum ſimus eodem nos omnes fratres, matribus tamen vſi ſumus diuerſis.

14. εἰσποιεῖμεν h. l. dant vulgatae, cuius in locum ſuffici aut εἰσποιοῖμεν aut εἰσεποιεῖμεν, auctor eſt Sylburgius. Ego poſterius praetuli.

15. πῶς ἄν τις] primum vocabulum, quo vulgatae carent, e Bodlei. margine recepi, in quem id coniectura viri docti, neſcio cuius, coniecerat. Bene enim ſententiae conuenit, quae ſine eo conſtare ſibi nequit.

16. ὑμῶν] ſic dedi auctore Sylburgio, pro vulgari ἡμῶν.

17. εἶτα δ'] ſic dedi, eodem Sylburgio auctore, pro vulgari εἰ τάδ'.

18. ἡμᾶς, ἅπαντα μεμαρτ.] ſi quis ἅπαντες malit, negat Sylburg ſe multum refragaturum. Ego ἡμᾶς ἅπαντας, in accuſatiuo, et ſine commate, quod in vulgatis interiacet, praetuli. poſſit quoque ἡμῶν ἅπαντα probari.

τὴν αὐτῷ συγγένειαν ἕκαστος. ὥστε ἠδέως κἂν[19] τῶν 30.
ἀντιδικούντων ἡμῖν τῷ σεμνοτάτῳ πυθοίμην, εἰ ἄλ-
λοθέν ποθεν ἔχοι ἂν[20] ἐπιδεῖξαι αὐτὸν Ἀθηναῖον,
ἢ ἐκ τούτων, ὧν καὶ ἡμεῖς Εὐφίλητον ἐπιδείκνυμεν.
ἐγὼ μὲν γὰρ οὐκ οἶμαι ἄλλό τι[21] ἂν αὐτὸν, ἢ ὅτι ἡ
μήτηρ ἀστὴ[22] τέ ἐστι, καὶ ὁ πατὴρ[23]· καὶ ὡς ταῦτ'
ἀληθῆ λέγει, παρέχοιτ' ἂν αὐτῷ[24] τὰς συγγενεῖς 33.
μάρτυ-

19. κἂν tuebor aduersus Sylburgium, suspicantem γ' ἂν aptius esse futurum.

20. ἔχοιεν ἐπιδεῖξαι] sic vulgatae vitiose. correxi de meo ἔχοι ἄν. nam de vno modo agitur, aduersariorum omnium, quos actor sibi ait esse, vel constantissimo et grauissimo.

21. ἄλλο τι] bene hoc habet, tametsi Bodleianus ἄλλοθεν dat, cuius codicis fides penes me quidem admodum subiesta est, vt quem constet coniecturis Sylburgianis scatere. Non hic latet vitium, sed in eo, quod ἐρεῖν deest post αὐτὸν. Sic enim leg. est ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶμαι ἄλλο τι ἂν αὐτὸν ἐρεῖν. ego enim non arbitror eum aliud quicquam pro se dicturum, neque confirmandae suae ingenuitatis documentum aliud proditurum esse, quam hoc, vt —

22. αὐτὴ] excusari potest, vt v. 39. si quis tamen αὕτη malit, per me licet. SYLBURG.

Errauit vtique bonus Sylburgius. ἀστὴ debebat suffici, quod et hic, et aliquoties deinceps, vt versibus 39. 40. et 43. sufficeri pronomini αὐτὰς, quod vulgatae dabant.

23. καὶ ὁ πατὴρ] subaudi ἀστὸς ἦν. natu ciuis Athenienſis.

24. αὐτῷ] aut αὐτῷ, cum aspēro, leg. est, aut, quod equidem malim, αὐτῶν. istorum, quae in eius-

μάρτυρας. εἶτα, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰ μὲν ἦτοι [25] ἐκινδύνευον, ἠξίουν τοῖς αὐτῶν οἰκείοις ὑμᾶς [26] πιστεύειν μαρτυρεῦσι [27] μᾶλλον, ἢ τοῖς κατηγόροις. νυνὶ δὲ ἡμῶν πάντα ταῦτα παρεχομένων, ἀξιώσουσιν ὑμᾶς τοῖς αὐτῶν πείθεσθαι λόγοις μᾶλλον, ἢ
36. τῷ πατρὶ τῷ Εὐφιλήτου. καὶ ἐμοί, καὶ τῷ ἀδελφῷ [28], καὶ τοῖς φράτορσι, καὶ πάσῃ τῇ ἡμετέρᾳ συγγενείᾳ. καὶ μὴν ἦτοι μέν, ἐφ' ἑνὶ ἑνὶ κινδυνεύοντες [29], ἰδίας ἔχθρας ἕνεκα ποιοῦσιν [30]· ἡμεῖς δὲ, πάντας ὑποδίκους ἡμᾶς αὐτοὺς καθιστάντες, μαρτυροῦμεν· καὶ πρὸς ταῖς μαρτυρίαις, ὦ ἄνδρες δι-

modi loco sit dicturus. vt ad ταῦτα referatur. Is certe loquendi mos est atticis oratoribus.

25. ἦτοι] hi municipales, iidemque aduersarii nostri.

26. ὑμᾶς] in exemplari est ἡμᾶς, *nos:* minus congruenter. Sic v. 42. in eodem est ἐγίνωσκεν: contra leges syntacticas. SYLBVRG.

27. μαρτυρεῦσι] subaudi αὐτοῖς. si qui eorum ipsis testentur.

28. καὶ τῷ ἀδελφῷ] subaudi ἐμῷ. fratri meo. leg. forte sit καὶ τῷ ἀδελφῷ, καὶ τῷ πρὸς μητρὸς θείῳ, καὶ τοῖς ἀνδράσι τῶν ἀδελφῶν, καὶ τοῖς φράτορσι. Consentaneum enim est, in recapitulatione testium neminem eorum praeteriri, qui superius essent producti.

29. ἐφ' ἑνὶ ἑνὶ] sic vulgatae. primum horum duum vocabulorum in duo distraxi, ἐφ' ἑνὶ *nulla in re.* cum nullo modo, nullo titulo, huius rei causa in ius vocentur.

30. ἕνεκα ποιοῦσι] videtur ταῦτα esse interponendum.

καὶ, πρῶτον μὲν ἡ τοῦ Εὐφιλήτου μήτηρ. ἦν ἔτοι 39.
ὁμολογοῦσιν αὐτὴν εἶναι, ὅρκον ὀμόσαι ἐπὶ τῷ διαι-
τητῇ ἐβούλετο ἐπὶ Δελφινίῳ, ἢ μὴν τετονὶ Εὐφίλη-
τον εἶναι ἐξ αὐτῆς καὶ τοῦ ἡμετέρου[31] πατρός. καίτοι
τίνα προσῆκε μᾶλλον αὐτῆς ἐκείνης τοῦτο εἰδέναι;
ἔπειτα, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὁ πατὴρ ὁ ἡμέτερος, ἐν 42.
εἰκὸς ἐστὶ μετὰ τὴν τούτου μητέρα ἄρισα τὸν[32] αὐτοῦ
υἱὸν γινώσκειν[33], ἔτος καὶ τότε[34] καὶ νυνὶ βούλεται
ὀμόσαι ἢ μὴν[35] Εὐφίλητον τοῦτον υἱὸν εἶναι αὐτοῦ ἐξ
αὐτῆς καὶ γαμετῆς γυναικός. πρὸς τούτοις τοίνυν, ὦ
ἄνδρες δικασταί, ἐγὼ ἐτύγχανον μὲν τρισκαιδεκαετὴς
ὤν,

31. ἐξ αὐτῆς καὶ τοῦ ἡμετέρου πατρός] pro ſecundo vocabulo dedi αὐτῆς, in quo fortaſſis egiſſe videbor multis inconſideratius. Eſto. non repugnabo. reuocetur, ſi iuuabit, αὐτῆς. et tum bene habebit vulgata. Sin autem recte feciſſe videbor αὐτῆς ſufficiens, neceſſe erit, vt etiam deinceps legatur καὶ αὐτοῦ, τοῦ ἡμετέρου πατρός. cui nomen erat Hegeſippo, id quod e verſu nono p. 111. conſtat:

32. ἄρισον] ex hoc vocabulo, quod vnum dant vulgatae, duo ἄρισα τὸν effeci de meo.

33. γινώσκειν] ſic emendauit Sylburgius vitium exemplaris, vt vſurpat, h. e. editionis primigeniae, a Roberto Stephano proditae.

34. καὶ τότε] ſubaudi e proximo ἐβούλετο.

35. ἡμῖν] exiſtimarit forſan aliquis legendum ὑμῖν, *vobis*, vt v. 45. ſed procul dubio vtrobique legendum ἢ μὴν, vt v. 40. Ibidem pro ἐξ αὐτῆς ſententia requirit ἐξ αὑτοῦ, *ex ſe*, patre ſcilicet. SYLBVRG.

Correxi ἡμῖν vitioſum ad mentem Sylburgii, et hic, et paulo poſt verſu 45.

45. ὧν, ὥσπερ καὶ πρῶτον εἶπον, ὅτε ἔτος ἐγένετο. ἕτοιμος δὲ εἰμὶ ὀμόσαι ἢ μὴν Εὐφίλητον τετονὶ ἀδελφὸν εἶναι ἐμαυτῷ ὁμοπάτριον. ὥστε, ὦ ἄνδρες δικασταί, δικαίως ἂν καὶ τὰς ἡμετέρας ὅρκους πιστοτέρους νομίζοιτε, ἢ τὰς τούτων λόγους. ἡμεῖς μὲν γὰρ, ἀκριβῶς εἰδότες, ὀμόσαι περὶ αὐτῷ θέλομεν· ἔτοι
III.1. δὲ ταῦτα [36] ἀκηκοότες παρὰ τῶν τοῦτο διαφόρων, ἢ αὐτοὶ πλάττοντες, λέγουσι. πρὸς δὲ τούτοις, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἡμεῖς μὲν τὰς συγγενεῖς μάρτυρας, καὶ ἐπὶ τῶν διαιτητῶν [37], καὶ ἐφ' ὑμῶν παρεχόμε-
3. θα, οἷς ἂν ἄξιον ἀπιστεῖν· ἔτοι δὲ, ἐπειδὴ ἔλαχεν ὁ Εὐφίλητος τὴν δίκην τὴν προτέραν τῷ κοινῷ τῶν δημοτῶν, καὶ τῷ τότε δημαρχοῦντι, ὃς νῦν τετελεύτηκε, δύο ἔτη τοῦ διαιτητοῦ τὴν δίαιταν ἔχοντος, ἐκ ἠδυνήθησαν ἐδεμίαν μαρτυρίαν εὑρεῖν, ὡς ἔτοσὶ ἄλλου τινὸς πατρός ἐστιν, ἢ τοῦ ἡμετέρου. τοῖς δὲ δι-
6. αιτῶσι μέγιστα σημεῖα [38] ἦν τοῦ ψεύδεσθαι τούτους, καὶ κατεδιήτησαν αὐτῶν ἀμφότεροι [39]. καί μοι λά-

36. ταῦτα] ſubaudi ἃ λέγουσι περὶ Εὐφιλήτου.

37. ἐπὶ τῶν διαιτητῶν] ſubaudi τότε παρεχόμεθα. et tunc producebamus, coram arbitris, cum haec res adhuc in manu arbitrorum verſaretur, antequam ad forum veſtrum, iudices, deferretur.

38. διαιτῶσι μέγιστα σημεῖα] addendum vtique eſt ταῦτα, ſiue pone primum horum vocabulorum, ſiue pone ſecundum, ſiue pone tertium.

39. ἀμφότεροι] fuerunt ergo duo arbitri in hac cauſa verſati. *ambo* ait, tam ſuperior ille, qui vita defunctus eſt, quam qui adhuc ſupereſt. Pro λάβετε malim in ſingulari λάβε, tu, ſcriba.

βετε τῆς προτέρας διαίτης τὴν μαρτυρίαν [40].
ΜΑΡΤΥΡΙΑ. ὡς μὲν τοίνυν καὶ τότε ὤφλον [41] τὴν δίαιταν, ἀκηκόατε. ἀξιῶ δὲ, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὥσπερ ἅτοι μετὰ ταῦτα ἔφησαν [42] εἶναι σημεῖον, ὡς ἐκ ἔστιν Ἡγησίππου, εἰ οἱ διαιτηταὶ αὐτῶν [43] ἀπε- 9.

διήτησαν,

40. Post τὴν μαρτυρίαν addidi de meo titulum Μαρτυρία. et nunc reperio, in Bodleiano quoque h. l. hunc titulum legi.

41. ὤφειλον] nota hic ὤφειλον pro ὤφλον. SYLB. Ego vero, negans illa duo vocabula idem significare, aut inter se permutari, suffeci, vt debebam, ὤφλον.

42. ἅτοι μετὰ ταῦτα ἔφησαν εἶναι σημεῖον] primo et secundo vocabulo interponendum videtur μέγα, quod cohaerebit cum σημεῖον. post ἔφησαν addendum videtur ἄν. dicturi, iactaturi postmodum fuisse videntur, magnum et validum hoc esse argumentum, si arbitri hunc Euphiletum damnassent et reprobassent, quo ex argumento constet, hunc Euphiletum Hegesippi filium non esse. Verum illud μετὰ ταῦτα *postmodum* quid sibi vult? scil. post dictam ab arbitris sententiam, si hi arbitri Euphiletum negassent Hegesippi filium esse. Aut saltim μετὰ cum μέγα est commutandum.

43. αὐτῶν] rectius singulariter αὐτῷ: et mox in secunda persona ὑμῖν. SYLBURG.

Fallitur vir optimus. vulgata αὐτῶν bene habet. si eos, municipales Euphileti, absoluissent, et secundum eos causam dedissent, h. e. quod consequitur, si Euphiletum damnassent. Huius enim municipales eum accusauerant fraudis in eo commissae, quod se municipalem eorum gereret, qui non esset. ἀποδιαιτᾶν τινες dicitur arbiter, cum accusatum reum absoluit, καταδιαιτᾶν autem, cum reum condemnat.

διήτησαν, ἕτω τὸ νῦν ἡμῖν [44] τοιοῦτον [45] εἶναι μαρτύριον, ὅτι ἀληθῆ λέγομεν, ἐπεὶ ἔδοξαν αὐτοὶ [46] ἀδικεῖν τοῦτον, Ἀθηναῖον ὄντα, καὶ κυρίως πρῶτον [47] ἐγγραφέντα, ὕστερον ἐξαλείψαντες. ὅτι μὲν οὖν ἀδελφὸς ἡμῶν ἐστιν ἀτοσὶ Εὐφίλητος, καὶ πολίτης
12. ὑμέτερος, καὶ ἀδίκως ὑβρίσθη ὑπὸ τῶν ἐν τῷ δήμῳ συσχόντων, ἱκανῶς οἶομαι ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἀκηκοέ-

44. ἡμῖν cur damnetur, cauſae nil video. *nobis*, id eſt, pro nobis, in cauſa noſtra.

45. τοιοῦτον] tale, eiusmodi teſtimonium. Sed qualenam? quo refertur illud τοιοῦτον, ſi nihil praeceſſit, cui ſimile dicitur eſſe? μέγα nempe. *aequale* magnitudine teſtimonium, atque futurum fuiſſet illud aduerſariorum aduerſus Euphiletum argumentum, ſi per aequitatem arbitrorum licuiſſet ipſis eo vti. Vnde conſtat veram eſſe illam meam paulo ante proditam coniecturam μέγα μετὰ ταῦτα ἔφησαν ἂν εἶναι σημεῖον. Nam ſi μέγα illinc excludatur, carebit hic voc. τοιοῦτον ſententia.

46. αὐτοὶ] non accepiſſe ab Euphileto iniuriam, ſed ei vltro, ipſi ſua ſponte, nulla idonea cauſa prouocati, inferre. redit ad municipales Euphileto aduerſantes. Sin autem αὐτοῖς legatur, de quo pro ſenſu quisque ſuo ſtatuet, redibit ad par illud arbitrorum, ad quorum cognitionem haec de ſtatu ciuili Euphileti cauſa delata fuerat. Ego equidem a vulgata diſcedendum h. l. eſſe nego.

47. πρῶτον] id eſt τὸ πρῶτον. primitus. h. e. tum, quum inſcriberetur ἀπ' ἀρχῆς ſtatim a principio, tametſi poſtea rurſus denuo inſcriptus non fuit. Suſpicabar aliquando de πρότερον, ob inſequens ὕστερον. Sed proculdubio bene habet vulgata.

ἀκηκοέναι.» 18. ἔτος ὁ χαρακτὴρ τῶν Ισαίου λόγων, καὶ ταῦτα τὰ διαφάττοντα παρὰ τὴν Λυσίου ἀγωγήν. ἐνθὲν δὲ κωλύει καὶ κεφαλαιωδῶς περιλαβόντα, δι' ἐλαχίστης δηλώσεως τὰ φανερώτατα εἰπεῖν· 15. ὅτι μοι δοκεῖ Λυσίας μὲν, τὴν ἀληθειαν δίωκειν μᾶλλον· Ισαῖος δὲ, τὴν τέχνην· καὶ ὁ μὲν, σοχάζεσθαι τῷ χαριέντως[48]· ὁ δὲ, τῷ δεινῶς. εἰ δέ τις παραθεωροίη ταῦτα ὡς μικρὰ καὶ φαῦλα, ἐκ ἂν ἔτι γένοιτο ἱκανὸς αὐτῶν κρατῆσαι. ἀλλὰ γὰρ αἱ ὁμοιότητες συνταράξουσιν αὐτῷ τὴν γνώμην, ὥστε 18. μὴ διαγνῶναι τὸν ἴδιον ἑκατέρου χαρακτῆρα. καὶ περὶ μὲν τούτων[49], ὡς ἔχω δόξης, δεδήλωταί μοι. 19. βούλομαι δὲ ἤδη καὶ περὶ τῶν ἄλλων ῥητόρων ἀποδεῖξαι τὸν λόγον, ἵνα μή τις ἀγνοίᾳ με δόξῃ[50] παραλιπεῖν αὐτοὺς, ἐπιφανεῖς ὄντας, καὶ ὀνόματος ἠξιωμένους ἐν μετρίῳ· ἡ φυγῇ τῷ πόνῳ τὸ ῥᾷσον 21. αἱρούμενον[51] τῶν ἔργων, τὴν περὶ αὐτῶν ἀφοσίωσιν σκέψιν. ἐγὼ γὰρ ὅτε ἠγνόουν, ὃς ἅπαντες ἴσασιν, ὅτε ὤκνουν[52] ὑπὲρ αὐτῶν γράφειν, εἴ τι χρήσιμον ἔμελλεν ἐξοίσειν ἡ γραφή. ἐνθυμούμενος δὲ ὅτι τὴν

μὲν

48. Aut post χαριέντως aut post δεινῶς deest εἰπεῖν, aut tale quid.

49. Post τούτων deesse videtur ἱκανῶς.

50. ἀγνοίᾳ με δόξῃ] interposui e Bodleiano με, quo vulgatae carent.

51. αἱρούμενον] sic dedi ex eodem Bodl. pro vulgari ἡγούμενον. Subaudi ἀντὶ τοῦ χαλεπωτέρου.

52. ὤκνουν] adde ἄν. neque defugissem, reformidassem.

μὲν ποιητικὴν κατασκευὴν, καὶ τὸ μετέωρον δὴ τοῦ-
24. το καὶ πομπικὸν εἰρημένον. οὐδεὶς Ισοκράτους ἀμεί-
νων ἐγένετο, παρέλιπον ἑκὼν, οὓς ᾔδειν ἧττον ἐν
ταῖς ἰδέαις ταύταις κατορθοῦντας· Γοργίαν μὲν τὸν
Λεοντῖνον, ἑκπίπτοντα τοῦ μετρίου, καὶ πανταχοῦ[53]
παιδαριώδη γιγνόμενον ὁρῶν· Αλκιδάμαντα δὲ, τὸν
27. ἀκουστὴν αὐτοῦ, παχύτερον ὄντα τὴν λέξιν καὶ κοι-
νότερον· Θεόδωρον δὲ τὸν Βυζάντιον, ἀρχαῖόν[54]
τινα, καὶ οὔτε ἐν ταῖς τέχναις ἀκριβῆ, οὔτε ἐξέ-
τασιν ἱκανὴν ἐν τοῖς ἐναγωνίοις δεδωκότα λόγοις·
Αναξιμένην δὲ τὸν Λαμψακηνὸν, ἐν ἁπάσαις μὲν
ταῖς ἰδέαις τῶν λόγων τετράγωνόν τινα εἶναι βουλό-
30. νον· καὶ γὰρ ἱστορίας γέγραφε, καὶ περὶ τοῦ ποιητοῦ[56]
συντά-

53. πανταχοῦ] ſuperſcriptum eſt in Bodleiano πολλαχοῦ, quae caſtigatio et reprehenſio, a ſedulo quodam lectore proſecta, non ipſius Dionyſii dictio, mihi videtur eſſe. Gorgiae cum aut nihil, aut parum hodie ſuperſit, nam de reliquiis ei attribui ſolitis decernere, mihi non arrogo, haud iuuat hac in cauſa arbitrum agere.

54. ἀρχαῖον] accipe non de tempore, ſed de ingenio, deteriorem in partem. vietum, et condemnendum ob fatuitatem.

55. ἐν ἁπάσαις μὲν ταῖς ἰδέαις] e Bodleiano addidi, quod vulgatis deeſt, μὲν, cui reſpondet μέντοι verſu 31.

56. περὶ τοῦ ποιητοῦ] τοῦ ποιητοῦ ambiguum eſt ſignificetne τοῦ ποιητοῦ λόγων γένους, an κατ' ἐξοχὴν *poetarum principis:* vt v. 41. Zoilus contra Homerum commentarios reliquiſſe dicitur. Pauſanias Eliacωn 2. 196. 3.

συντάξεις καταλέλοιπε, καὶ τέχνας ἐξενήνοχεν, ἤπταὶ δὲ καὶ συμβουλευτικῶν καὶ δικανικῶν ἀγώνων· ὁ μέντοι τέλειόν γε ἐν ὁδεμιᾷ τούτων τῶν ἰδεῶν, ἀλλ' ἀσθενὴ καὶ ἀπίθανον ὄντα ἐν ἁπάσαις θεωρῶν. ὁ δὴ δεῖν ᾠόμην, Ισοκράτους ἐν ἅπασι πάντων τούτων ὑπερέχοντος, λόγον τινὰ ποιῆσαι περὶ ἐκεί- 33.
νων· ὁδέ γε περὶ τῶν συμβιωσάντων Ισοκράτει, καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς ἑρμηνείας ἐκείνου ἐκμιμησαμένων ὁθενὸς, Θεοδέκτου λέγω, καὶ Θεοπόμπου, καὶ Ναυκράτους, Ἐφόρου τε καὶ Φιλίστου, καὶ Κηφισοδώρου, καὶ ἄλλων συχνῶν. ὁδὲ γὰρ ἐκεῖνοι κρίνεσθαι πρὸς τὴν Ισοκράτους δύναμιν εἰσὶν ἐπιτήδειοι. τῶν 36.
μὲν δὴ κατὰ ταύτην τὴν ἀγωγὴν κοσμουμένων ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα διαφορώτατον ἡγησάμενος, ὐκ ἔτι περὶ τῶν ἄλλων ἠξίωσα μακρολογεῖν, καὶ δαπανᾶν εἰς ὁδὲν ἀναγκαῖον τὸν χρόνον· 20. τῶν δὲ τὰς ἀκρι- 39.
βεῖς [57] προαιρουμένων λόγους, καὶ πρὸς τὴν ἐναγώ-
νιον

tradit, carmen epicum de Alexandro adscribi a quibusdam Anaximeni: sed id sibi non videri verisimile. Narrat ibidem, eum tum alia scripsisse, tum Antiquas res Graeciae, et res a Philippo atque Alexandro gestas: praeterea cum natura esset sophista, et sophistarum orationes probe imitari nosset, probrosum quoddam in Athenienses, Lacedaemonios ac Thebanos scriptum Theopompeo stilo exarasse, effictisque ad illius imitationem omnibus, sub Theopompi nomine librum edidisse, ad conflandum ei, propter simultatem quandam priuatam, publicum Graecorum odium.

57. ἀκριβεῖς] castigatas, tersas, limatas, adstri-

νιον ἀσκήντων ῥητορικήν, ὧν ἐγένετο Αντιφῶν τε ὁ Ῥαμνήσιος, καὶ Θρασύμαχος ὁ Χαλκηδόνιος, καὶ Πολυκράτης ὁ Ἀθηναῖος, Κριτίας τε ὁ τῶν τριάκοντα ἄρξας, καὶ Ζωΐλος ὁ τὰς καθ' Ὁμήρου συντάξεις καταλιπών, καὶ ἄλλοι τοιοῦτοί τινες, οὐδένα
42. ἡγέμενος [58] ἔτε ἀκριβέστερον, ἔτε χαριέστερον γεγονέναι Λυσίου· Αντιφῶν γε μὴν τὸ αὐστηρὸν ἔχει μόνον καὶ ἀρχαῖον, ἀγωνιστὴς δὲ λόγων ἔτε συμβουλευτικῶν, ἔτε δικανικῶν ἐστί· Πολυκράτης δὲ, κενὸς μὲν ἐν τοῖς ἀληθινοῖς, ψυχρὸς δὲ καὶ φορτικὸς ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς, ἄχαρις δὲ ἐν τοῖς χαριεντισμοῖς
45. δεομένοις ἐστί· Θρασύμαχος δὲ, καθαρὸς μὲν, καὶ λεπτὸς, καὶ δεινὸς εὑρεῖν τε καὶ εἰπεῖν ςρογγύλως καὶ περιττῶς [59] ὃ βέλεται· πᾶς δ' ἐστὶν ἐν τοῖς τεχνογραφικοῖς καὶ ἐπιδεικτικοῖς· δικανικὸς δὲ ἧ συμβε-

ctas orationes, in quibus nihil eſſet redundans, nil luxurians, nil pompaticum atque hiſtrionicum, ſed ad veritatem et neceſſitatem vſus praeſentis exacta eſſent omnia; has igitur opponit τοῖς μετεώροις καὶ πομπικοῖς Iſocraticorum, eorumque τῇ ποιητικῇ κατασκευῇ, vbi multa caudam trahunt, oblectationis, aut etiam illuſionis ergo aſſuta, ſeueritatem neceſſitatis et veritatis haud ferentia. *wo man es ſo genau nach dem Buchſtaben nicht eben nehmen muſs.*

58 ἡγέμενος] reſumit et abſoluit orationem longa interpolatione (parentheſin vſurpant) ſuſpenſam, p. 112. 4. in illis οἰόμενος — ἐποιησάμην κανόνα.

59. ςρογγύλως καὶ περιττῶς] praetuli aduerbia haec, auctore Bodl. adiectiuis ςρογγύλος καὶ περιττὸς, quae proſtant in vulgatis.

συμβουλευτικὸς ἢ ἀπολέλοιπε λόγους· τὰ δὲ αὐτὰ καὶ περὶ Κριτίου, καὶ περὶ Ζωΐλου τίς ἂν εἰπεῖν ἔχοι, πλὴν ὅσον τοῖς χαρακτῆρσι τῆς ἑρμηνείας διαλλάττουσιν ἀλλήλων· τούτων δή φημι τῶν ἀνδρῶν, καὶ τῶν παραπλησίων τούτοις, διαφέρειν οἰόμενος Λυσίαν, καὶ ὥσπερ ἀρχέτυπον ὑπογράφων[60] ὑπερ- 3.
ἔχειν ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα, ταύτης τῆς προαιρέσεως τῶν λόγων ἐποιησάμην κανόνα. τὸν δὲ δὴ τρίτον Ἰσαῖον, εἴ τις ἔροιτό με, τίνος ἕνεκα προσεθέμην[61],

112.1.

Λυσίᾳ

60. ὑπογράφων] num ἀπογρ. vt p. 107. 22.

61. τίνος ἕνεκα προσεθέμην] vulgatae dant τ. ἕ. ἃ προσεθ. ego vero particulam infitiantem expungendam duxi, et ad veram sedem, vnde huc aberrauerat, deducendam. v. annotationem 64. paulo post. Isaeum vtique Dionysius Lysiae adiunxerat, προσέθετο. [vel potius προσέθηκε.] quem Isaeum debuisset omittere, si fidem voluisset excusationi facere, qua hic vtitur aduersus eos, qui silentium eius de reliquis oratoribus aegre laturi atque exprobaturi videbantur. Quorum reprehensionem metuens Dionysius, telum hoc defendit hac excusatione. Simulas, aiunt, Dionysi, reliquos oratores a te ideo praeteritos esse, quod aut Isocratis, aut Lysiae fuissent imitatores, magistris inferiores. Bonum factum. Verumtamen haec si tibi vera fuit atque idonea causa, cur Isaeum, et ipsum quoque in Lysiae vestigia, quod tute ipse profiteris, ingressum, tanti feceris, vt de eo peculiari libello pluribus disputares? Ideo nempe feci, occurrit Dionysius, quod Isaeus haud immerito pater haberi possit illius eloquentiae generis, quod postmodum a Demosthene, Isaei discipulo, ita elaboratum et perfectum fuit, vt

Λυσίᾳ δὴ ζηλωτὴν ὄντα, ταύτην ἂν αὐτῷ φαίην
τὴν αἰτίαν, ὅτι μοι δοκεῖ τῆς Δημοσθένους δεινότη-
6. τος, ἣν ἐθεὶς ἐστὶν ὃς ἐ τελειοτάτην ἁπασῶν οἴεται
γενέσθαι, τὰ σπέρματα καὶ [62] τὰς ἀρχὰς ἔτος
ὁ ἀνὴρ παρασχεῖν. διὰ μὲν δὴ ταύτας τὰς αἰτίας
τέσδε τὼς ἄνδρας [63] μόνους παρέλαβον. εἰ δὲ περὶ
πάντων ἠξίουν γράφειν, εἰς κενότητας ἂν μοι ὁ λό-
γος ἐξέπιπτε, καὶ πρὸς τῷ μηθὲν ἢ [64] ἐ πολὺ τὸ
χρή-

ex eo recte demosthenicum appelletur. Paulo post adeo, initio disputatiunculae super Dinarcho, nominatim Isaeum Dionysius noster appellat εὑρετὴν ἰδίου χαρακτῆρος.

62. τὰ σπέρματα] Auctor vitae Homeri inter opuscula mythologica, edita Amstelodami, p. 323. in iudicio de principe poetarum, iisdem fere verbis vtitur, ex quibus, vt alia mittam argumenta, coniicit cl. Galeus in praefat. ad illa opuscula, vel illius libelli patrem fuisse Dionysium, vel, si alius a Dionysio fuit, plurima ab eo transsumsisse. HVDSONVS.

Huiusmodi sunt Hudsoni pleraeque annotationes ad Dionysii opuscula critica. Diligentiae nonnihil, qualis a bibliothecario exspectetur, copiis librorum affluente. Ad rem parum.

63. τέσδε τὼς ἄνδρας] Isocratem, Lysiam, Isaeum.

64. πρὸς τὸ μηθὲν ἢ πολὺ] legendum videtur πρὸς τῷ μηθὲν ἢ ἐ πολὺ τὸ χρ. ἔχ. SYLBVRG.

Fui in auctoritate Sylburgii, et praeter τῷ, pro quo vulgatae τὸ vitiose dant, etiam οὐ e versu 4. vbi vitiose redundabat, huc deduxi.

χρήσιμον ἔχων, εἰς ἀπέραντόν τινα καὶ ὑ σύμμε- 9.
τρον ἐξεμηκύνθη γραφήν. καὶ περὶ τέτων μὲν ἄλις.
ἑτέρων δὲ ἀρχὴν ποιήσομαι τῦ λόγυ, περί τε Δη-
μοσθένυς καὶ Ὑπερείδυ[65] καὶ τρίτυ λέγων[66] Αἰ-
σχίνυ. ἡ γὰρ δὴ τελειοτάτη ῥητορικὴ, καὶ τὸ κρά-
τος τῶν ἐναγωνίων λόγων, ἐν τέτοις τοῖς ἀνδράσιν 12.
ἔοικεν εἶναι.

65. Ὑπερίδυ] Ὑπερείδης et hic et in sequ. per ει diphthongum constanter legitur: at supra 71, 20, et alibi, per ι: quo modo et manu exaratus liber ibi habet, et Suidae ac Plutarchi exemplaria. Porro secunda haec pars de Oratoribus Atticis, quae supra etiam promittitur in praefatione huius tractatus, 81, 44, ad nos non peruenit. SYLBVRG.

66. λέγων] in margine Bodleiani h. l. adscriptum reperit Hudsonus ἴσως λέγω. quod etiam atque etiam probo. Possit tamen quoque de λέξων cogitari.

ISAEI ORATIONVM INTERPRETATIO LATINA.

ORATIO PRIMA

certans de Cleonymi hereditate.

A Cleonymi e rebus humanis exceſſu magnam paſſae ſunt, o viri, meae res commutationem. Facultates enim ille quidem ſuas adhuc ſuperſtes nobis verbotenus condicebat, mortuus autem pro bonis periculum litis reliquit. Olim quidem ab illo tam pudice educabamur, vt nunquam in forum veniremus, ne alios quidem audiendi gratia litigantes; nunc autem huc deſcendendum nobis fuit, quo ipſi de tota ſubſtantia contenderemus. Non enim de Cleonymi ſolummodo hereditate nobiscum contendunt aduerſarii, ſed etiam de patrimonio noſtro, aientes, Cleonymum id oppigneraſſe pro nominibus quibusdam ſuper eo contractis. Et familiares quidem atque propinqui horum aduerſariorum noſtrorum aequum cenſuerunt, vt nos aequam portionem ferremus eorum adeo bonorum, quae a Cleonymo ipſis relicta eſſe in confeſſo eſt: hi autem eo procedunt impudentiae, vt ipſo patrimonio noſtro nos euertere conentur; non, quo aequum et verum ignorent, o viri, ſed quo nos adeo ab amicis deſertos exiſtiment, vt facile ſibi factu futurum ſperent, vt nos prorſus deſpolient. Spectate modo atque expendite, quibus cauſae momentis freti noſtrum quique ad litis conteſtationem deſcenderimus. Fidunt nempe hi quidem tabulis teſtamenti iis, quas Cleonymus ſcripſit vtique; neque enim factum infitia-

mur, verum neque odio noſtri, neque nobis offenſus, quippe qui nunquam de nobis queſtus ſit, ſed iratus alicui noſtrorum neceſſariorum; verumtamen ille idem Cleonymus hoc teſtamentum rurſus ante exceſſum, per Poſidippum huius ipſius rei cauſa ad magiſtratum allegatum reſcidit, quoad per ipſum ſtetit. Nos autem quibus fidamus, ex altera parte audite. Et ſanguinis neceſſitudine proxima Cleonymum attingimus, et vſi eo ſumus hominum omnium amiciſſimo. atque familiariſſimo. praeterea ius ciuile nobis ſolis heredi. tatem eius addicit ex titulo propinquitatis, Ipſe quoque Cleonymus, pro illa ſua noſtri caritate atque pietate, heredes nos ſibi eſſe voluit edixitque. Denique pater Cleonymi, Poliarchus, idemque auus noſter, praeceperat, vt Cleonymo improle exſtincto, nos in bona ſua immitteremur. Tot et tam firmis ſepti cum eſſemus munitique iuris aequiſſimi titulis, hos nihilominus tamen, qui et cognati eſſent, et ab omni vel ſpecioſa modo praetenſione denudati, nil puduit nos in certamen coniicere ſuper iis bonis, ſuper quibus nobiscum contendere vel alieniſſimi quique turpe ſibi duxiſſent. Videtur nempe, iudices, animus erga nos mutuus non idem nobis eſſe. Nam ego equidem non hoc fero aegerrime, neque malorum circumſtantium hoc exiſtimo deterrimum atque acerbiſſimum, quod in hoc certamen periniquum per nefas coniectus ſum; ſed iſtoc imprimis crucior, quod commiſſus ſum cum neceſſariis, quorum ne repellere quidem inſultus ſatis decorum ſit. Non enim minorem accepturus mihi videor iniuriam, ſi neceſſaria mei defenſio me coegerit, his, qui neceſſarii mei ſunt, noxiam quampiam dare, quam ex hoc, quod ipſemet ego prior ab his moleſtia affectus et vltro impetitus ſum. Hi contra prorſus alio erga me animo ſunt, in arenam prodeuntes cum agmine amicorum conuocato, et manu oratorum

torum conſcripta. Breuis vt ſim, copiarum ſuarum partem omnino nullam ſibi reliquam fecerunt, quaſi inimicos capitales vltum irent, non neceſſarios et cognatos homines laeſum. Verumenimuero melius adhuc, iudices, eorum impudentiam, diramque et foedam cupiditatem intelligetis, vbi totam rei geſtae rationem ex me ſtatim enarraturo acceperitis. Vnde autem citiſſime atque expeditiſſime rem mihi videmini percepturi, de qua inter nos contenditur, inde exponendi faciam exordium. Dinias, patris noſtri frater, orbos nos factos, in tutela habuit. Sed Cleonymus, o viri, cum eo diſſidebat. Diſſidii princeps vter eorum fuerit, neſcio an me minus deceat quaerere; hactenus tamen eos mihi videor iure merito poſſe reprehendere, quod cognati cum eſſent, nullaque eos idonea cauſa ſimultatis interceſſiſſet, e ſermonibus quibusdam tam inconſulto ſimultates ſuſceperint. Ipſe quidem Cleonymus nobis poſtmodum, vt e morbo conualuit, affirmauit, illo ſuo cum Dinia iurgio ſe motum, illud nobis fatale teſtamentum ſcripſiſſe per valetudinem; non quo nobis ſuccenſeret, ſed metuens ne moriendum ſibi eſſet, nobis adhuc pupillis, et in Diniae tutela atque poteſtate conſtrictis. Quodſi iam fieret, vt heredes ipſius eſſemus, neceſſario Diniam bonorum ſuorum, Cleonymi puta, eſſe futurum. Graue autem et acerbum ſibi ducebat, ſi, quem ſuperſtes hominum omnium habuiſſet inimiciſſimum, eum moriens et neceſſariorum relinqueret tutorem, et bonorum ſuorum arbitrum, eum denique, qui, donec nos, amici ei, et ab ipſo rurſus caritate paterna foti, adoleuiſſemus, neceſſe haberet, non iuſta modo exſequiarum ſibi, Cleonymo, facere, ſed etiam Manibus ſuis annuas infcrias inferre; quod ſi fiat, fieri non poſſe, quominus Manes ſui, vt ab hominis infeſtiſſimi et penitus exoſi aſpectu officioque perturbarentur atque

exagitarentur. Hac mente, quicquid eſt, Cleonymus, ſiue iure, ſiue iniuria, quid enim refert quaerere? teſtamentum illud ſcripſit. Quo facto, cum Dinias eum protinus in continente interrogaret in foro, num ideo feciſſet, quod aut de nobis, aut de patre noſtro haberet, quod quereretur, reſpondit Cleonymus in publico, coram ciuibus omnibus in foro tum agentibus, ſe nil de nobis queri, nullaque noſtra culpa aut fraude mala offenſum eſſe, ſed ex ſola ſua cum Dinia ſimultate, quod ei ſuccenſeret, teſtamentum hoc a ſe ſcriptum eſſe teſtatus eſt, quo fidunt hi aduerſarii noſtri, in eoque ſcribendo conſilia prauae mentis, et ab iracundia occoecatae ſe ſecutum eſſe. Et profecto, qui tandem potuiſſet, recte ſi ſapuiſſet, malum nobis dare voluiſſe, qui nihil eum offenderamus? Neque ſubſtitit in hac ſui erga nos animi teſtificatione Cleonymus, ſed alia, velut in cumulum, addidit euidentiſſima documenta, vnde conſtet, quicquid hoc in teſtamentario negotio egit Cleonymus, id omne eum non eo egiſſe animo, vt nos laederet, aut rem noſtram minueret. Dinia enim vita defuncto, cum res noſtrae peſſime ſe haberent, non paſſus eſt Cleonymus vllius rei nos egere, ſed ipſosque nos in domum ſuam translatos educauit, patrimoniumque nobis conſeruauit, cui creditores inſidiabantur, et negotia noſtra perinde, atque ſua propria, curauit. Atqui animum eius erga nos, qui fuerit, magis ex his eius moribus, quam e tabulis teſtamenti ſpectare oportet, et argumentari, non ex iis, quae percitus iracundia egit, (ecquis enim vnus eſt noſtrum omnium, qui non, ira occoecatus et ſtimulatus, ruat?) ſed ex illis, per quae poſtmodum ſui rurſus compos factus, veram animi ſui ſententiam patefecit. Verum adhuc magis hunc animum ſuum, vita ad finem vergente, in articulo mortis conſtitutus, declarauit. Iam enim ex illa decumbens valetudine,

quae

quae eum sustulit, volens illud, de quo toties dico, testamentum tollere, Posidippo mandabat, vt magistratum ad se arcesseret. Ille vero magistratum in domum Cleonymi non modo non induxit, sed vltro quoque venientem exclusit. Quam ob fraudem Cleonymus Posidippo iratus, iniunxit Diocli, vt proximo die post archontas aduocaret. Verum interceſſit subitus casus, nobis aduersus. Ista enim cum praecepisset Cleonymus, non vt conclamate cubans, sed vt in nonnulla spe rursus adhuc conualescendi, subito proxima nocte exstinctus est. Primum itaque testes coram vobis producam, confirmaturos, Cleonymum illud testamentum, non ex offensione a nobis accepta, sed quod cum Dinia simultatem bellumque gereret, scripsisse; deinde, Dinia mortuo, Cleonymum res nostras omnes procurasse, ipsosque nos, suam in domum e domo Diniae translatos, educasse; postremo, quod, cum Cleonymus Posidippum ad Astynomum [seu aedilem] allegasset, eius arcessendi causa, Posidippus aedilem non modo nil curauerit arcessere, sed vltro quoque ad ostium venientem Archonidem reiecerit. Testes cita. *Testes.* Etiam horum [Posidippi et Dioclis] amici, et Cephisander, aequum censuerunt, hereditatem diuidi, et nos, [me fratresque meos] tertiam vniuersae substantiae partem a Cleonymo relictae adipisci. Etiam huius rei cita testes. *Testes.* Iam existimo equidem, iudices, quicunque super hereditatibus contendant, vbi planum id testatumque fecerint, sese defunctos proxima sanguinis necessitudine contingere, arctissimaque familiaritate cum iis adhuc superstitibus fuisse coniunctos, reliquis omnibus argumentationibus vt superuacaneis supersedere posse; quia tamen hi aduersarii nostri, tametsi neutrum horum prae se ferre atque docere possint, nihilominus tamen aliena bona, quorum ipsis ius nullum est, ad se adha-

mare conantur, armisque calumniarum et cauillationum rem gerunt, etiam haec arma ipsis eripere verbisque breuissimis retundere iuuat. Fatentes igitur aedilem a Cleonymo arcessitum esse, causantur, id eo feciſſe Cleonymum, vt testamentum illud, quo scripti heredes ipsi essent, non rescinderet, sed corrigeret, donationemque sibi decretam confirmaret. Ego vero vos reputare, iudices, vobiscum ipsis velim atque arbitrari, vtrum credibilius sit, Cleonymum, quo tempore nos caritate summa prosequeretur, eo voluisse testamentum per iracundiam in fraudem nostram scriptum rescindere, an id egisse, quo nos bonis suis hoc certius atque irrefragabilius priuaret. Reliqui quidem homines, si qua in re necessarios per iracundiam laeserint, poenitentia postmodum ducti, errorem emendant, atque acta ipsi sua antiquant; hi vero Cleonymum aiunt, quo tempore studio nos prosequebatur calidissimo, eo ipso testamentum isse confirmatum, per iracundiam in damnum nostrum scriptum. Quod ipsum etiamsi nos largiremur verum esse, et vos quoque crederetis his aientibus, vos tamen vna id quoque reputare oporteret, hos id iactantes Cleonymum summi, qui cogitari potest, furoris insimulare. Ecquis enim maior et atrocior esse possit furor, quam, si tum quidem, quo tempore simultates cum Dinia exercebat, nostrum in damnum testamentum scripsisset, quo non inimicum vltus esset, sed nos laesisset; postmodum autem, tametsi nos in sinu, atque in oculis propemodum gestasset, tamen hereditatis suae exsortes, id quod hi aiunt, nos declarare voluisset, qui eius e fratre nepotes essemus? Ecquis, o iudices, homo recte sapiens, de propinquissimis tam iniqua decernat, modisque erga eos vtatur tam repugnantibus? Verumenimuero per has ipsas causationum frigidarum et inanium praestigias facilem vobis, o iudices, huius litis

tis disceptationem reddideruet. Siue enim Cleonymus eo iussit magistratum arcessi, quo testamentum rescinderet, praetensio illis omnis est erepta, praeclusum et interceptum omne effugium. Sin autem reuera tam furiosus fuit Cleonymus, vt minimi semper nos faceret, necessarios suos, qui cum sanguine proxime ipsum attingeremus, tum eo semper vsi fuissemus familiarissime, iure summo vos, o iudices, eiusmodi testamentum, vt ab homine furioso scriptum rescinderetis ipsi. Praeterea hoc quoque meminisse vos et ad animum vobis reuocare velim. Cleonymum hi aiunt eo arcessi iussisse, idque sibi negotium demandasse, quo decretam et scriptam ipsis donationem confirmaret. Et nihilominus tamen huic mandato aduersari, magistratumque a collegio deputatum non solummodo non arcessere, sed etiam vltro venientem excludere foribus ausi sunt; et cum possent alterutro certe potiri de duobus commodis, vt aut hereditatem hoc certius atque indubitabilius haberent atque tenerent, aut huius certe litis molestias et dedecus euitarent, vtroque illo commodo ipsi sese multarunt. Verum quandoquidem semel ad vos delata haec est causa, iudices, eiusque facti vos estis summa cum potestate arbitri, eamque sedetis dicturi sententiam, quae rata in perpetuum esse debeat, a nullaque prouocatione infringi possit, succurrite, quaeso, vna nobisque, illiusque defunctis Manibus, et ita propitii vobis sint diique semonesque, per quos ego vos oro obtestorque, vt vos haud committetis, vt Cleonymus ab his sceleratis summa contumelia afficiatur. Quin potius memores, et iuris ciuilis, et iurisiurandi a vobis dicti, et eorum, quae super hac causa disputauimus, iustam, et religioni sacramenti vestri, legumque edicto consentaneam pronuntiate sententiam.

ORATIO ISAEI SECVNDA,

cauſam de Pyrrhi hereditate agitans.

Pyrrhus, matris meae frater, o iudices, prole carens legitima, fratrem meum Endium pro filio atque herede adoptauerat; qui Endius, ab exceſſu Pyrrhi, plus viginti annis ei ſuperuixit, et bona Pyrrhi poſſedit, atque vſurpauit, totoque illo tempore nemo vnquam vlla prodidit ſignificatione, et ne ſimulauit quidem, ſe exiſtimare, illam hereditatem ad ſe pertinere, neque ſuper ea cum Endio contendit. Verum Endio, fratre meo, anno ſuperiori vita defuncto, mulier quaedam, quaſi ſimulans ſe ignorare, iam ante ſe alium quendam fuiſſe bonorum Pyrrhi heredem, qui illa tamdiu vſurpaſſet, quem tamen ipſa tacita pertuliſſet, et quaſi nunc primum Pyrrhus morte ſua hereditatem illam vacuam feciſſet, illa, inquam, mulier, auunculi noſtri filiam ſe ferens legitimam, et Philae nomen ſibi arrogans, et vir, cuius in poteſtate illa mulier eſt, Xenocles Cyprius, tutorio vxoris ſuae nomine, litem exordiebantur ſuper Pyrrhi hereditate, iam plusquam viginti annis ante vita defuncti, petebantque illam hereditatem a ſe in libello petitorio tribus talentis aeſtimatam. Ibi mater noſtra, Pyrrhi ſoror, eadem de hereditate contendere, eamque ſibi arrogare. Sed vir, in cuius poteſtate illa mulier eſt, intercedebat obnuntiatione, quam auſus eſt interponere, qua, teſtem agens, negat matri noſtrae ius vllum eſſe fratris hereditatem petendi, quoniam Pyrrho, primo bonorum domino, filia, legitime nata, ſuperſit adhuc in viuis. Oppoſuimus vero nos actionem de falſo dicto teſtimonio, veſtrumque ad forum pertraximus eum, qui auſus fuerat, interponenda obnuntiatione ſua, hereditatis aditu nos excludere, eoque facto non illum modo, Xenoclem, dicti falſi teſtimonii

nii luculentiſſime coarguimus, et actionem de falſo teſtimonio in hoc eodem veſtro foro vicimus, ſed etiam hunc Nicodemum tum quoque in continenti coarguimus, qui coram iisdem iudicibus falſum illud Xenoclis teſtimonium ſuo, perinde falſo, fultum et conſtabilitum ierat, aiens, a ſe ſororem ſuam, huius mulieris matrem, auunculo noſtro, Pyrrho, rite deſponſam et in manus traditam fuiſſe, quo vxor eius iure, quam poteſt optimo, eſſet. Teſtimonium hoc [Nicodemi] iam in priore actione iudicibus, qui tum ſedebant, falſum fuiſſe viſum, docet teſtis tum condemnatus [Xenocles.] Nam ſi hic [Nicodemus] tum viſus non fuiſſet falſa teſtatus eſſe, conſtat hoc euenturum fuiſſe, vt et ille [Xenocles] in cauſa obteſtationis abſolutus abiret, et mulier, quam Xenoclis obteſtatio filiam Pyrrhi legitimam perhibet eſſe, auunculi noſtri bonorum heres declararetur, non mater noſtra. Sed victus et condemnatus diſceſſit teſtis, [Xenocles] et mulier illa, quae Pyrrhi ſe fert filiam, ab hereditate, quam poſcebat, deſtitit. Vnde perſpicua et inuicta exſiſtit neceſſitas, huius [Nicodemi] quoque teſtimonium iam tum temporis reprobatum, condemnatum et pro nullo declaratum fuiſſe. Nam, qui obteſtationem nobis obiecerat [Xenocles,] hoc de ipſo actionem falſi teſtimonii certabat, vtrum mulier hereditatem petens Pyrrho e meretrice, an ex vxore legitima nata eſſet. Statum cauſae cognoſcetis ipſi vos perſpicue, vbi audiueritis et iusiurandum a nobis dictum, iuriiurando ab illis dicto oppoſitum, et huius [Nicodemi] teſtimonium, et denique interpoſitam [a Xenocle] obteſtationem, illam dico, in illo priore iudicio falſitatis conuictam atque repudiatam. Recita tu hiſce [iudicibus] haſce tres ſchedas, quas tibi in manus trado. *Contraiuramentum* [ambarum partium inter ſe litigantium.] *Teſtimonium* [Nicodemi.] *Obteſtatio* [Xenoclis.] Nicodemum

demum ergo iam tum ſtatim in continenti viſum fuiſſe falſum teſtem, id liquido tum demonſtratum fuit omnibus. Verum etiam coram vobis, iudices, conuenit teſtimonium eius mendacii coargui, quippe qui hoc de ipſo ſedeatis iudicaturi, ſitne verum illud, an falſum teſtimonium. Ante omnia itaque ex eo percontari volo, quamnam dotem a ſe ſorori aiat additam fuiſſe is, [Nicodemus] qui teſtimonio in publico dicto aſſeuerauit, ſororem a ſe Pyrrho rite deſponſam et elocatam fuiſſe, ſubſtantiam poſſidenti tribus talentis aequiparabilem; deinde percontari volo, vtrum illa praetenſa Pyrrhi vxor virum adhuc ſuperſtitem, an, eo exſtincto, domum eius deſeruerit; et, poſterius hoc ſi euenit, a quonam dotem ſorori contributam recuperarit, poſt eius exceſſum, cui ſe illam deſpondiſſe ait. aut, ſi dotem minus recuperarit, quamnam actionem, ſiue titulo alimentorum mulieri praebendorum, ſiue dotis ipſius reddendae, intra viginti annorum decurſum in eum intentarit, qui nuper hereditatem Pyrrhi in poteſtate habuit; aut, quonam cum comite atque teſte congreſſus cum herede, de dote ſorori reddenda cum illo herede intra tam longinquum tempus expoſtulauerit. Horum itaque omnium cur nihil factum ſit, libenter ex eo perconter, ea ſuper muliere, quae legitime dicatur elocata fuiſſe. Nam ſic a ſe ſororem Pyrrho elocatam fuiſſe Nicodemus hic teſtatus eſt. Et praeterea, num quis adhuc alius ſororem eius in matrimonio habuerit, vxorem ſibi rite deſponſam, ſiue ille vnus eſt ex eorum numero, qui muliere illa familiariter vſi ſunt, antequam auunculus noſter notitiam cum ea contraheret; ſiue ex eorum, qui, auunculo cum ea conſuefcente, mulierem frequentarunt, ſiue denique eorum, qui auunculo eviuis ſublato, vſu crebro cognitam atque amicam eam habuerunt. Conſtat enim, ſi horum cuiquam rite deſponſa fuit, eam

eorum

eorum vnicuique conditione eadem elocatam fuisse a fratre, qua auunculo nostro fuit, si fuit vnquam. Non modicum mihi datum foret negotium, si de horum omnium, qui mulieris amici vnquam fuerunt, vnoquoque sigillatim exponere necesse fuerit. Quodsi ergo vos iubeatis, de quibusdam eorum a me mentionem fieri, faciam. Sin autem vestrum quibusdam perinde insuatue sit, audire istiusmodi narratiunculas, atque mihi est in iis oratione versari, sola vobis exhibebo recitanda testimonia super hac muliere in priore actione dicta. quorum testimoniorum omnium in nullum hi ausi sunt [Nicodemus puta cum factione sua] falsitatis actionem instruere. Atqui fieri qui possit, vt rite desponsa cuiquam atque elocata videatur ea mulier, quam hi ipsi confitentur volenti cuique patuisse. Quod enim testimonia hac ipsa de re dicta falsitatis actione persecuti non sunt, eo ipso confessi sunt, mulierem corpus vulgasse, ideoque rite desponsam nunquam fuisse. Quae testimonia vbi vos quoque audieritis, cognoscetis, et Nicodemum testimonium dixisse aperte et manifeste falsum, et superioris actionis iudices aequam iurique consentaneam pronunciasse sententiam in hanc formulam, hereditatem mulieri haud legitime natae non competere. Recita tu, tu autem inhibe clepsydram. *Testimonia.* Quod ergo meretrix volenti cuique obnoxia, non autem vxor legitima nostri auunculi, fuerit ea mulier, quam hic [Nicodemus] testatus est a se illi legitime desponsam atque elocatam fuisse, de eo iam constat vobis, cum e testimoniis reliquorum propinquorum, tum e vicinorum, qui olim Pyrrho fuerunt, nunc autem testati sunt, rixas pugnasque crebras a se visas auditasque esse, et comissationes, et petulantiam incredibilem, toties, quoties haec mulier, huius [Nicodemi] soror, penes eum [Pyrrhum] esset. Atqui nemo facile ausit ad matronas rite maritatas comissabundus-

bundus accedere, neque vxores maritos ad conuiuia comitantur, neque compotantibus assident inter ignotos et alienos, eosque fortuito oblatos et de triuio correptos. Atqui mulierem hanc ista factitasse, testati sunt hi, quos audiuistis, et hi [Nicodemus, Xenocles et tota eorum factio] ausi non sunt contra testium illorum quemquam actionem falsitatis instituere, nedum vt eos coarguerent Vera me haec affirmare, quo constet, recita tu illis hoc testimonium iterum. *Testimonium.* Sed et illa recita testimonia de frequentibus marium omnis generis cum illa congressibus, quo constet, et meretricem illam fuisse, volenti cuique obnoxiam, et neminem illorum omnium alium ex ea liberos legitimo modo suscepisse. Recita ipsis. *Testimonia.* Meminisse iam vos oportet quot numero homines coram vobis, iudices, contestati sint, quam mulierem hic [Nicodemus] auunculo nostro a se desponsam et elocatam ait fuisse, eam prostibulum vulgare, et in potestate cuiusque mercedem dantis fuisse; meminisse item hoc, constare iam, omnium aliorum nemini eam desponsam fuisse, et cum alio nullo cum conditione matris familias honestae et legitimae sub eodem tecto cohabitasse. Verum age alias quoque causas excutiamus, vnde suspicio nascatur, fieri tamen potuisse vt eiusmodi mulier, quamuis ita probrosa et contaminata, rite tamen nihilominus desponderetur, si nostro quoque auunculo contigisset hac in re humanum quid pati. Vsu enim nonnunquam venit, vt adolescentes, cum talium mulierum amore tam insano exarsissent, vt ab earum amplexibus auelli et incontinentiae suae modum imperare nequirent, sui haud compotes, a stultitia et furore suo impellerentur ad peccandum in fua propria commoda et ad conscifcendum famaeque suae ignominiam, et reifamiliari labem haud reparabilem. Vnde igitur

igitur, huiusmodi de re quid ſtatuendum ſit, certius intelligatur, atque decernatur exploratius, quam partim e teſtimoniis, in actione ſuperiori horum in cauſa dictis, [Nicodemi puta, et ſororis eius, item Philae et Xenoclis atque conſortium] partim ex indiciis probabilibus, atque conſentaneis, ex ipſa rei natura efflorescentibus? Hic nempe [Nicodemus] in illa priore actione nequam artibus et impoſturis rem gerens comminiſcebatur, vnum ſolummodo teſtem, Pyretidem aliquem, ſibi praeſto fuiſſe, ſororem deſponſuro, ſi dis placet, (ait enim deſpondiſſe) viro clariſſimo, ſubſtantiam trium talentorum tenenti. Et huius rei teſtimonium exhibuere tum, non a teſte praeſente coram iudicibus ore editum, ſed ſcriptum abſentis nomine, ab ipſis; quod teſtimonium ipſe Pyretides a ſe aut verbis proditum aut literis conſignatum fuiſſe infitiatur, ſarcinamque hanc, quam hi humeris eius impoſitum iſſent, ſuſcipere recuſat, ſed rotundis et diſertis verbis negat ſibi conſtare, horum quicquam verum eſſe. Luculentum ego edam documentum, vnde conſtet, teſtimonium hoc ab his tum exhibitum, manifeſto falſum et ementitum eſſe. Noſtis enim vos omnes, cum res ſuſcipiamus agendas in publico, quas res oporteat ad plurium notitiam peruenire, et quae ſine conſcientia et auctoritate teſtium peragi atque ratae eſſe nequeant, et quarum loca et tempora caeterasque rationes praeſciamus, tum ſolere nos ad eas res agendas aduocare delectos e propinquiſſimis, eosque, quibus alias vtamur quam familiariſſime; ſubitarum autem, et quarum euentum praeſcire atque praeuidere nemo poſſit, teſtes producere eos, qui fortuito rei cuique, vt contigit, interfuerunt. In ipſis eiusmodi rerum actionibus forenſibus cum teſtes in iudicum conſpectum producendi ſunt, facere non poſſumus, quin illos teſtes, quicunque tandem caeteroquin

ſunt

sunt, a forte nobis obiectos producamus, qui rebus ex improuiso et insperato gestis interfuerunt; sed aut ipsos producimus, aut si quis ipse in foro adesse siue per valetudinem, siue per instantis itineris necessitatem minus possit, tum testimonium ab absente ipso eiusue nomine scriptum exhibemus. Huiusmodi autem testimonium, absentis locum expleturum, cum operam damus, vt nobis scribatur, cauemus vt ciuium probatissimos quosque vobisque notissimos aduocemus, vt interfint actui testationis, neque vno teste duobusue defungimur, sed quot possumus quam plurimos corrogamus, testimonium eiusmodi pro absente testaturum poscentes a scribente; quo et auctori testimonii postmodum negatum sit a se scripta rursus infitiari, et quo vos fidem scriptis hoc promtius atque fidentius habeatis, quo testes et numero plures, et fama atque dignitate meliores eadem confirment. Xenocles quidem hic ipse alia quapiam in re, multo illa leuiore, atque haec nostra causa est, hac vsus cautione cernitur. Thebas enim proficiscens, ad officinam metallicam, quae ibi nobis est, a Pyrrho relicta, cum proposito, nostras operas illinc vi et manu deducendi, non existimabat oportere, se testibus vti, quos illuc venienti fors esset obiectura, sed in viam se dabat, habens secum Diophantum Sphettium, eundem, qui pro hoc [Nicodemo] causam dixit [in superiori actione] et Dorotheum Eleusinium, fratremque suum, Philocharem, multosque alios, nominatim ad testandum conuocatos, quos hinc illuc perduxit Xenocles, tota tercentum stadia: super desponsione autem atque elocatione in matrimonium, mulieris eius, quae liberis suis auia sit futura, cum in Vrbe sibi dari curaret extestimonium, [h. e. non adduceret in forum ipsum testem suum, sed solummodo testimonium literis consignatum ab eo peteret, tametsi, id quod ipse ait, ille testis,

non

non peregre, ſed ipſa in Vrbe ageret, nihilque eum ab ingreſſu in forum impediret] tamen ad eam rem neceſſariorum ſuorum neminem aduocaſſe deprehenditur, ſed ſolummodo Dionyſium Erchienſem, et Ariſtolochum Aethalidem. Cum his duobus aiunt hi [Nicodemus cum factione] Xenoclem in Vrbe exteſtimonium ſibi dari curaſſe. Huiusmodi ſunt eorum mores et inſtituta, quibus nemo facile vlla alia in re, quacunque tandem, fidem adhibeat. At medius fidius, leue quid erat atque friuolum id, cuius cauſa Xenocles, vt hi aiunt, exteſtimonium a Pyretide poſcebat, vt mirandum nil ſit, ab eo rem iſtam tanta cum ſocordia atque ſupinitate actam eſſe? Atqui leuis et friuola haec res qui, quaeſo, erit ei, cui in hoc ipſo verteretur cardo certaminis eius, quod Xenocli de falſo dicto teſtimonio certandum fuit, vtrum vxor ſua ſpuria e ſcorto nata, an filia legitima Pyrrhi e matre familias honeſto modo ſuſcepta eſſet? Itane vero ad teſtimonium hac de re, ſi verum fuiſſet, neque commentitium, paucos quosdam, et alienos homines, et non potius amicos atque familiares aduocaſſet? Vtique, ita me deus amet, vere factum id ſi fuiſſet, quod ſii factum aiunt, h. e. ad teſtimonium ex ore teſtantis excipiendum de re tanti momenti, quotquot potuiſſet, omnes notos et familiares aduocaſſet. Atqui conſtat, vtrumque horum, tam Xenoclem, quam Nicodemum, res grauiſſimi ponderis ſtuduiſſe clam, pene nullo cum teſte, aut cum leuiſſimo quoque, peragere. Nam Xenocles quidem exteſtimonium ſibi dari curauit coram duobus ſolummodo teſtibus fortuito oblatis, Nicodemus autem, id agens, vt ſororem viro deſponderet ſubſtantiam habenti tribus talentis parem, cui illam a ſe deſponſam ait, non habuit ſecum, niſi vnum ſolummodo teſtem aduocatum. Et Nicodemus quidem ſe ſolum Pyretidem ſecum habuiſſe commentus eſt, (Py-

retides enim ipſe factum infitiatur;) ab eo autem viro, qui eiusmodi mulierem ſibi deſponderi curaret, aduocatos ſe ſponſalibus interfuiſſe aiunt Lyſimenes, et fratres eius, Charon et Pylades. Hoc aiunt hi, qui deſpondendi auunculi eſſent. Proh rem portentoſam! Iam veſtrum eſt, iudices, diſpicere, commentum hoc vtrum ſit credibile. Nam ego equidem autumo, ex eo colligens, quod conſentaneum eſt fieri, ſi Pyrrhus ſibi propoſuiſſet aliquid aut ſpondere, aut agere, quod genere ipſius eſſet indignum, multo eum magis operam fuiſſe daturum, vt id inſciis neceſſariis omnibus faceret, quam voluiſſe auunculos ad errorem tam foedum oculis ſuis conteſtandum aduocare. Praeterea, hoc quoque miror, ſi vera fuerunt illa ſponſalia, cur de dote nullum pactum interceſſerit, neque a parte dantis, neque a parte accipientis. Siue enim Nicodemus dotem Pyrrho dedit, conſentaneum erat, vt, qui teſtes ſe ſponſalibus aiunt interfuiſſe, hi iidem quoque teſtarentur illam dotem Pyrrho in manus a Nicodemo datam atque numeratam fuiſſe. Sin autem, cupiditate mulieris accenſus, auunculus noſter paſſus eſſet indotatam ſibi deſponderi mulierem, et eam quidem ſic moratam, paret, Nicodemum multo etiam tum magis operam daturum fuiſſe, vt Pyrrhus coram teſtibus affirmaret, ſe dotem pro muliere accepiſſe, illaque de dote reddenda caueret, quo facile rurſus ei ne eſſet, mulierem, ſi quando luberet, a ſe ablegare. Multo etiam plures tum profecto teſtes, (id quod conſentaneum eſt,) deſpondens aduocatos adhibuiſſet, quam is, qui ſibi talem mulierem deſponderi curaret. Nemo enim veſtrum ignorat, eiusmodi mulierum caritatem penes amantes non manere perpetuam, ſed illuſam illorum opinionem paulo poſt reſipiſcere, errorem noſcitare, et quo loco habendae ſint meretrices, et quanti faciendae, tandem aliquando cernere. Et nihilo-

hilominus tamen Nicodemus, aiens ſororem a ſe deſponſam, his moribus, indotatam, viro ſubſtantiam habenti rribus talentis aequiparabilem, ait eam deſpondiſſe vno tantum cum teſte, et ſine pactione dotis; et auunculi Pyrrhi aiunt ſe interfuiſſe ſponſalibus iis, quibus ſuus ex ſorore nepos mulierem talem ſibi curaſſet indotatam deſponderi. Proh impudentiam! proh effrenem mentiendi licentiam! Verum non inſiſtit hic eorum audacia. Teſtati praeterea quoque ſunt hi iidem Pyrrhi auunculi, ſe aduocatos a nepote interfuiſſe, cum ille diem a nata filia decimum feſtum ageret, eique nomen imponeret. Hic loci continere me non poſſum, iudices, quominus prodam me grauiſſime indignari, quod maritus quidem huius praetenſae Pyrrhi filiae [Xenocles] vxoris loco atque nomine litem hanc inſtituens de hereditate Pyrrhi, veluti de patrimonio vxoris, (Pyrrhi enim filiam illa ſe, quod toties dico, iactat) in libello, quem exhibuit petitorium eundem atque accuſatorium, vxoris ſuae Philae nomen ediderit, Philamque curarit in tabulas publicas inferi; auunculi autem Pyrrhi, qui decimo ab illius mulieris natiuitate die ſacris ideo factis nominisque imponendi ritui ſe aiunt interfuiſſe, teſtati ſint, eam a patre ex auiae nomine Clearetam appellatam fuiſſe. Clearetа enim mater Pyrrhi appellabatur. Miror itaque, qui factum ſit, vt maritus, octauum iam in annum vxorem domi habens, verum eius nomen ignorarit, et neque a teſtibus ſuis id ante hunc diem didicerit, neque ſocrus ei filiae ſuae nomen intra tam longinquum tempus prodiderit, neque ſocrus frater, hic ipſe Nicodemus; ſed pro auiae nomine, ſi reuera nomen auiae mulieri fuit vnquam impoſitum, maritus vxori ſuae nomen Philae curarit in tabulis publicis ſcribi, idque in ſortitione litis ſuper hereditate bonorum eorum, quae vxor eius praetendit a patre ſuo ſibi re-

licta esse. Quid ita? Ipsone adeo auiae nomine [quod nomen nepti, si fuisset, titulus iuris et documentum ingenuitatis esse potuisset] a patre imposito vxorem priuatum ibat ipse maritus? Non iam liquet, iudices, quae hi dudum ante euenisse aiunt, ea hos nuper demum, dudum post causam hanc in forum delatam, ex se commentos esse, et inter sese comparasse atque condixisse? Neque enim fieri potest, neque credibile est, vt testes quidem ad sacra natalicia concelebrandum atque congratulandum vocati, quae sacra peracta aiunt decimo die a nata Pyrrho filia, quae eadem huius [Nicodemi] ex sorore neptis est, nomen mulieri tum a patre inditum, ab illo inde die, quicunque ille dies fuit, tam longo tempore post tam probe commeminissent, eiusque memores in iudicium conuenirent, coramque iudicibus e certa conscientia confirmarent, nomen a patre filiae fuisse idem impositum, quod ipsius Pyrrhi mater gessisset, Clearetae puta; qui autem hominum omnium eidem sunt propinquissimi, pater, et auunculus, et mater ipsa, nomen ignorauerint filiae, quam pro Pyrrhi filia venditant. Imo vero si qui alii, hi certe omnium vni optime atque certissime nomen mulieris tenebant. Verum hoc quidem de loco pluribus differere fortasse postmodum licebit. De huius autem Nicodemi testimonio difficile non est ex ipsis adeo legibus colligere, in eo dicendo Nicodemum ita sa gessisse, vt inter omnes constet illud testimonium perspicue manifestoque falsum esse dictum. Vbi enim, quicquid tu alteri nuptiarum, aut matrimonii ergo dederis ita, vt expressis verbis haud sis stipulatus, te velle vt id aut loco dotis sit, aut in parte dotis habeatur et paratae pecuniae aequiparetur, id tibi postmodum repetere non licet, si forte fiat, vt aut vxor sponte sua maritum deserat, aut maritus eam domo expellat; quanto ille magis arguitur esse hominum omnium impudentissimus, qui aiat, cum alicui sororem in manum daret, tum se nil curasse,

raſſe, de dote ſibi caueri. Ecquid enim tibi profuiſſet ſororem deſpondiſſe, ſi commiſiſſes, vt, cui tu eam deſpondiſſes, in eius fuiſſet arbitrio illam rurſus pro lubitu quandocunque repudiare? Fuiſſet autem in eius [Pyrrhi] arbitrio futurum, vxorem rurſus, vbi libuiſſet, repudiare, ſi ei cum Nicodemo de praeſtanda dote nil conueniſſet. In hanccine legem exiſtimandus eſt Nicodemus ſororem auunculo noſtro deſpondiſſe? praeſertim, qui ſciret, eam ex eorum, quibuscum conſueuiſſet, nullo peperiſſe; legesque noſſet ipſi [Nicodemo] dotem adiudicare cum marito compromiſſam, ſi contingeret, vt ea ſine prole decederet. Eſtne quisquam, cui Nicodemus tam ſupinus, tam ſecors, tam lucri contemptor eſſe videatur, vt huiusmodi clauſularum atque pactionum vllam obliuioſus praetereat? Mihi quidem haec non videtur Nicodemo indoles eſſe. Itane vero porro quoque noſter auunculus ab eo dignatus fuiſſet ſororem ſibi vxorem petere, qui actione peregrinitatis ab vno quodam eorum phratorum, quibus ipſe ſeſe arrogat, exagitatus, et in tam anceps amittendae ciuitatis diſcrimen adductus fuiſſet, vt, quod ciuis nunc ſit Nicodemus, id quatuor ſolummodo ſuffragiis debeat? hoc enim numero excedebant ſuffragia abſoluentium, numerum condemnantium. Quod vt conſtet vere a me dici, recita tu hoc teſtimonium. *Teſtimonium.* Sed vt de hoc quoque conſtet, quod modo commemorabam, e iure noſtro reuerſuram ad Nicodemum fuiſſe dotem, ſi eueniſſet, vt ſoror eius ſine prole decederet; vnde colligebam, cupiditatem Nicodemi paſſuram non fuiſſe, vt de dote praeſtanda nil curaret a Pyrrho ſibi caueri, cui ſororem a ſe deſponſam fuiſſe indotatam pro teſtimonio aſſeuerauit; recita tu hanc quoque noſtri iuris e codice legum particulam. *Leges.* Videturne vobis Nicodemus ad emolumenta tam ſegnis, tam torpidus et he-

bes fuisse, vt non multo magis hoc in negotio, vnde spes lucri certa ipsi affulgeret, si vere actum vnquam fuisset, summa, qua fieri potest, cum diligentia atque circumspectione versaturus fuisset, suisque commodis prospecturus? Ego quidem medius fidius arbitror eum ad diligentiam rei faciundae nihil sibi reliquum facturum fuisse. Alii quidem, qui, mulierem aliquam sub conditione pellicatus elocantes, pecuniam ei addunt, caueri sibi curant de emolumentis, quorum fructum sperare debeat eiusmodi pellex. Nicodemus autem, in sorore, vt ait, despondenda, hoc vnum scilicet spectauerit, vt legitime eam desponderet? dotis, et commodorum inde ad semet redeuntium nullam prorsus habuerit rationem? illene, qui minuti aeris causa, cuius cupiditate forenses causas in tribunalibus vestris actitat, nequam esse haud veretur? Verum etsi nequitia huius hominis, me vel tacente, plerisque, vestrum dudum cognita et perspecta est, iuuat tamen ante omnia summam eius in dicendo falso testimonio impudentiam hisce propemodum argumentis denudare. Dic, sodes, Nicodeme, sororem si tu Pyrrho legitime despondisti, ex eaque nosti filiam illi rite natam, cur passus es fratrem nostrum hereditatem Pyrrhi a iudicibus petere, ab iisque eam illi adiudicari, praeterita filia, quam tu ais ab auunculo nostro relictam, legitime susceptam? An te fugiebat, per hanc ipsam hereditatis petitionem atque adiudicationem, filiam e sorore tua natam declarari spuriam? Nam profecto frater noster illa petenda et impetranda nil aliud fecit, quam vt filiam, quae se fert eius, a quo hereditas relicta fuis, spuriam declararet. Verum non modo frater id fecit, sed dudum ante idem fecerat ipse quoque Pyrrhus eo, quod fratrem nostrum pro filio adoptauit. Quibus enim filiae sint legitime quaesitae, eorum nulli per leges licet testamentum scribere, aut, praeteritis filiabus, et in

frau-

fraudem earum, alii cuicunque bonorum suorum partem donare, legare. Id quod vos ipsi e legibus intelligetis, cum recitatas audieritis. Recita tu illis hasce. *Leges.* Videturne iam vobis Nicodemus, ille, qui testatus sit, a se sororem Pyrrho legitime desponsam esse, fratri nostro vnquam permissurus fuisse, vt eorum, quae frater hac in causa egit, quicquam ageret? Annon potius Endio hereditatem petenti, quae etiam illi adiudicata fuit, sese opposuisset, atque intercessisset pro sua ex sorore nepte obnuntiando, ius Endio nullum esse hereditatem petendi superstite filia legitima, cui soli bona paterna debeantur? Quo autem certi sitis, Endium, fratrem nostrum, hereditatem Pyrrhi via iuris ambisse, sibique legitime adiudicari curasse, nemine ipsi ea de re controuersiam obmouente, recita tu hoc testimonium. *Testimonium.* Nicodemus itaque, id quod ex hoc testimonio constat, Endio hereditatem ex formula iuris postulante, non ausus est intercedere, neque controuersiam hereditatis commouere, neque testimonium interponere suum de iure nullo postulanti competente, quoniam filia legitime suscepta superstit a Pyrrho patre sola bonorum heres relicta. Et de adiudicatione quidem hereditatis possit Nicodemus vos, iudices, commentitiis excusationibus ludificari, causando, hereditatem hanc sibi a nobis tum surreptam esse inscio, et rerum, quae tum agerentur, ignaro; item, nos mentiri. Verum transmittamus hunc locum tacitum, quoniam satis iam hac de re disputatum videtur. Xenocli autem cum Endius filiam tuae sororis in manus daret, fuisnesne tu vnquam, Nicodeme, permissurus, vt ea pro spuria e meretrice suscepta marito in manus daretur, quae fuisset ex vxore nata, Pyrrho legitime abs te desponsa? Annon potius actione intronuntiationis fuisses vsus, ad Archontem denuncians, mulierem, cuius in iure at-

que potestate sit hereditas ei a patre relicta, a filio adoptato contumelioſe haberi, qui eam hereditate paterna plane denudatum eat? praeſertim, cum actionum omnium forenſium hoc vnum genus ſolum ſit id, in quo actores diſcrimen damni accipiendi nullum adeant, et volenti cuique liceat filiabus ſuccurrere, ſi quae, ſine fratribus, cum patrimonio relictae fuerint. Nam neque mulctae luendae locus eſt in huiusmodi ad Archontem denuntiationibus, ne ſi quidem prorſus nullum ſuffragium denuntiatores abſtulerint; neque ſportulae ſoluuntur, neque ſacramentum deponitur; ſed actori quidem, quicunque eſſe vult, ſine vllo periculo denuntiandi poteſtas eſt, reos autem condemnatos extremae manent poenae in huiusmodi cauſis praeſcriptae. Vera ſi fuiſſent iſta, quae tu nunc auſus es pro teſtimonio affirmare, vtrum tu tunc ſtatim, recente adhuc iniuria, auctorem eius vltum iſſes, an etiam iſta Endium aies clam, et inſcio te, patraſſe? Annon ex ipſa dote, quam Endius ſpuriae ſuae ſorori addebat, odorabaris, nepti tuae iniuriam fieri? Debuiſſes propter hoc ipſum concepta indignatione Endium apud Archontem denuntiare, quod ipſe quidem ſubſtantiam tribus talentis aequiparabilem poſſidere poſtularet, (quam Endius quoque iure merito poſtulabat) filiam vero patris ſui adoptiui, quamuis legitime natam, alii cuipiam cum addita dote mille drachmarum ſolummodo [h. e. ſextae partis talenti] elocandam cenſeret. Et Nicodemus hoc aequo tuliſſet animo? non ideo ſuccenſuiſſet? non Endium detuliſſet? Feciſſet profecto, ita me deus amet, ſi, quod ait, verum id et certum fuiſſet. Quid? quod ne videtur quidem mihi vnquam, neque ille [Endius] neque vllus alius filius adoptatus tam aut tardus, aut audax legumque contemptor fuiſſe in rep. obtinentium, vt ſi pater adoptiuus vna cum hereditate filiam reliquiſſet legitime natam, non ipſe eam domum ſuam duceret,

ſed

sed alii cuipiam nuptui elocaret. Pvobe enim norat Endius liberorum ab eiusmodi filia legitima procreatorum vniuersam aliquando futuram esse auitam hereditatem. Itane vero quisquam huius rei gnarus, alii cuiquam bona sua sciens traderet? praesertim tam ampla et spissa, atque haec sunt bona, super quibus hi nobiscum contendunt. Videturne vobis vllus alius filius adoptatus tam fore impudens atque tam audax, vt filiam sui patris legitime natam alii elocaret cum dote, ne decimam quidem partem paternae hereditatis exaequante? Aut, si factum tamen id fuisset, videturne vobis illius mulieris auunculus id fieri passurus fuisse, is, qui ipse matrem puellae patri eiusdem despondisse asseuerauit in testimonio coram iudicibus solenniter dicto? Mihi quidem Nicodemus non videtur aequo id animo laturus fuisse, sed potius contentionem super hereditate exorsurus, et obtestationem interpositurus, et indicaturus Archonti, filiae paternorum bonorum heredi relictae iniuriam fieri, et, aliud si quod superfuisset telum iuris illis adhuc acrius, eo vsurus, nihilque sibi ad obtinendam causam reliquum facturus. Iam Endius quidem mulierem hanc, quam hic Nicodemus e sorore sua natam ait, vt spuriam, e meretrice susceptam, elocauit; hic Nicodemus autem neque cum Endio de Pyrrhi hereditate contendere ausus est, neque Endium apud Archontem deferendum censuit, quamquam is Nicodemi neptem e sorore pro spuria e scorto nata elocasset; neque dotis ab Endio mulieri additae mediocritatem aegre se ferre significauit, sed illa omnia fieri aequo animo passus est. Atqui leges de his omnibus diligenter definiunt. De quo vt vobis constet, recitabit scriba vobis, primo quidem loco iterum testimonium de hereditate Pyrrhi ab Endio in iure petita, eique a iudicibus adiudicata; deinde vero de mulieris [filiae spuriae, Philae] elocatione [ab Endio

facta]. Recita tu ipsis. *Testimonia.* Recita leges quoque. *Leges.* Cape iam hoc huius quoque [Nicodemi] testimonium, [quo ille confirmauit, a se sororem suam, huius mulieris matrem, Pyrrho pro legitima vxore fuisse elocatam.] *Testimonium.* Quomodo iam quis, actione de falso dicto testimonio aliquem persequens, dilucidius et euidentius reum arguat, quam si illum et ex ipsis rebus gestis, et ex vniuerso vestro iure ciuili mendacii conuincat, vt ego nunc Nicodemum conuici? Exsecutus itaque dicendo cum iam sim eorum pleraque, quae de Nicodemo et aduersus eum habebam, Xenoclem quoque spectate, quaeso, iudices, illum, penes quem ea mulier est, quae e sorore Nicodemi nata, Pyrrhi se filiam fert, num ex illo quoque Xenocle indiciorum nonnihil eluceſcat, vnde constet, dictum a Nicodemo testimonium falsum atque ementitum fuisse. Xenoclem itaque hunc siuisse hanc, quam nunc vxorem domi habet, pro spuria sibi desponderi, eamque pro tali manucepisse, planum id vobis factum est, et per argumenta, et per testimonium id, cuius de veritate Xenocles ipse per tempus haud modicum rebus ipsis testatus est. Paret enim, nisi Xenocles vxorem sibi vt spuriam ab Endio desponderi et in manus tradi siuisset, operam eum fuisse daturum, superstite adhuc Endio, cum liberi ei iam essent ex illa vxore suscepti tam iam adulti, vt controuersiam Endio adhuc superstiti moueret de filia legitima, vt sola herede bonorum patris; praesertim, qui paratus esset, Endii adoptationem a Pyrrho vnquam factam infitiari. Vtique, quo eam infitiaretur, exceptionem falsitatis opposuit testibus his, qui testati fuerant se interfuisse, cum Pyrrhus testamentum conderet. Quae vt vobis constet a me vera dici, recitabit scriba vobis testimonium ab iis, quos dico, testibus perhibitum. Recita ipsis. *Testimonium.* Atqui etiam ex hoc, quod nunc dicam, paret hos [Xenoclem, eius vxorem, Nicodemum, cum sorore et consorti-

fortibus] fateri, factam vtique fuiſſe Endii a Pyrrho adoptationem. Nam alias non tranſiſſent [h. e. quietum frui poſſeſſione patrimonii ſiuiſſent] eum, qui poſtremus heres patrimonii fuit, neque nunc demum coepiſſent in animum inducere, pro muliere, praetenſa Pyrrhi filia, hereditatem Pyrrhi in iure petendam ſibi eſſe. Plus enim quam viginti anni ab exceſſu Pyrrhi exierunt, Endius autem anno ſuperiori demum, menſe Metagitnione, exſpirauit. quo facto, protinus ab eius exceſſu, tertio die poſt, coeperunt veniam in iure petere hereditatem Pyrrhi adeundi. Atqui lex praecipit, vt petens hereditatem alicuius intra quinquennium ab eius exceſſu eam petat. Conueniebat itaque mulieri alterutrum facere; aut cum ſuperſtite adhuc Eudio de patrimonio contendere, vt ſibi ſoli competente, aut Endio exſtincto, hereditatem eius petere, vt ſoli ſorori Endii relictae, praeter quam ei nulli alii fratres nullaeque ſorores eſſent; praeſertim ſi verum fuit, quod hi prae ſe ferunt, eam ab Endio pro genuina et legitima ſorore Xenocli deſponſam et in manus traditam fuiſſe. Nouimus enim probe nos omnes, nobis, quotquot ſumus, omnibus per ius ciuile licere, fratrum hereditates in iure petere; quibus autem liberi ſint legitime parti, hos ſolos gaudere priuilegio hoc, vt eorum bona in iure petere nemini prorſus liceat. Horum de bonis controuerſiae locus omnino nullus eſt. Vos enim omnes patrum veſtrorum patrimonia habetis et tenetis inconteſtabilia, et ſic reliquorum quoque ciuium omnium vnusquisque patrimonium, quisque ſuum, habet tenetque inconteſtabile. Et nihilominus tamen hi tam ſunt inconſulti atque audaces, vt ius omne ciuile praetenſionibus ſuis abſurdis perturbent euertantque, aientes, adoptato quidem filio haud conueniſſe, vt ſibi per teſtamentum donata in iure peteret confirmari; pro Phila autem, quam aiunt a Pyrrho

rho filiam genuinam esse relictam, se recte conuenienterque contentionem in foro super hereditate ei a patre relicta capessere. Atqui, prout paulo ante docebam, quicunque liberos ex se legitime natos reliquerint, eorum liberi haud tenentur bona paterna in iure petere; si qui autem per testamentum adoptati fuerint, illos oportet operam dare, vt bona sibi legata a iudicibus e formula iuris adiudicentur. Illis enim, quia natu liberi sunt, nemo facile controuersiam de bonis paternis mouerit; cum adoptatis autem cognati omnes ius contendendi habere postulant. Super hereditatibus itaque ne a quocunque contendere volente lites mouerentur, et ne essent, qui hereditates, veluti desolatas, sibi peterent adiudicari, propterea dant adoptati omnes operam, vt sibi legata formula iuris adiudicentur atque confirmentur. Nemo iam vestrum omnium, iudices, tam tardus esse mihi videtur, iurisue ciuilis tam imperitus, vt existimet, Xenoclem, si vere persuasum sibi habuisset, vxorem suam legitime natam esse, pro ea super hereditate ipsius paterna contentionem forensem fuisse susceptorum. Nil minus. Filia legitime nata si fuisset, tacita in bona paterna immigrasset, eaque si quis illi adimere conatus esset, aut se per vim in ea ingerere, eum inde vi manuque deiecisset, homoque eiusmodi violentiam ausus, non priuatas solummodo lites haberet decertandas, verum etiam apud Archontem reus agi laesae maiestatis posset, ceu turbator pacis publicae, et in discrimen incurreret amittendi capitis fortunarumque omnium. Adde, quod Pyrrhi auunculi, si sciissent, a sororis suae filio, Pyrrho, filiam genuinam esse relictam, non videntur passuri fuisse, vt Xenocles se praeueniret. Id enim si sciissent, et praeterea si vidissent, nostrum neminem illam mulierem in matrimonium ducere velle, profecto non permisissent Xenocli, vt, qui nullo pacto Pyrrhum cognatione

tione attingeret, illam mulierem, ſecum cognatam, ſibi praeriperet. Foret vtique res grauis et abhorrens, ſi ſic ſe haberet, vt leges quidem edicerent, vt mulieres, ſiue ab ipſis patribus elocatae iam, in matrimonioque degentes, (quamquam de mariti delectu quis melius filiae, quam pater, conſulat?) ſiue nondum elocatae tum, quum pater earum decederet, nulla prole maſcula legitima relicta, vt illae igitur mulieres a proximis in ſanguine in matrimonium petantur, iisque a iudicibus adiudicentur; et profecto complures iam vxoribus multati ſunt, vi legum abſtractis, quibuscum iamdudum cohabitaſſent; Xenocli autem auunculorum Pyrrhi vnus aliquis permitteret vxorem domum ducere ſibi ipſi conuenientem, ſi Pyrrhus filiam genuinam reliquiſſet, tantamque ſubſtantiam ipſe ſibi denegaret, Xenocli tribueret. Nolite illos tam ſtultos exiſtimare. Nemo alios ſibi praefert. Quod ſi ergo praetextu vtentur hoc, vt aiant, propter adoptationem Endii controuerſiae mulierem haud fuiſſe obnoxiam, et idcirco de ea obtinenda in iure contendere ſe negent voluiſſe, primum hoc debebitis eos interrogare, cum factam a Pyrrho Endii fateantur adoptationem, cur tamen exceptione falſitatis oppugnent eos teſtes, qui Endium a Pyrrho adoptatum fuiſſe teſtati ſunt? deinde, cum praeteriſſent eum, qui bonorum a Pyrrho relictorum poſtremus poſſeſſor et heres fuiſſet, cur tamen contra formulam iuris illam hereditatem in iure petere nunc demum incipiant? denique eos interrogate, num eorum omnium, quotquot ſunt, qui legitime nati ſunt, vel unus aequum cenſeat, ſibique factu neceſſarium ducat, vt hereditatem patrimonii ſui in iure petat, a iudicibusque poſtulet in bona de iure ſua immitti? Has quaeſtiones opponite vos eorum impudentiae. Mulierem autem [Philam] controuerſiae vtique obnoxiam fuiſſe, ſi quidem legitime nata fuerit,

id ve-

id vero licet e legibus quam euidentissime cernere. Lex enim expressis verbis ita praecipit, qui prolem masculam nullam relinquat, ei licere bona sua per testamentum cuicunque velit legare. Sin autem idem filias relinquat, ita valituram esse voluntatem patris, vt, qui hereditatem eius adeat, is vna quoque filiam in matrimonium ducat. Licet ergo alicui bona sua legare, si vna cum bonis filiam quoque eidem deleget pater. Sin autem filiarum legitime natarum ratione nulla habita, pater aliquem pro filio adoptare velit, eique bona sua per testamentum legare, illam adoptationem atque legationem bonorum esse illegitimam, eoque irritam. Quod si ergo Pyrrhus, quem fingemus tantisper filiam reliquisse legitimam, illa filia praeterita, Endium pro filio adoptauit, lex illam adoptationem illegitimam declarauit atque irritam. Sin autem Pyrrhus vna cum bonis Endio filiam quoque legauit, eaque conditione adoptatum in bonis Endium reliquit, vt filiam in matrimonio haberet, cur passi vos duo estis, qui Pyrrhi essetis auunculi, vt Endius bona Pyrrhi a iudicibus sibi curaret attribui, tametsi praetensam illam Pyrrhi filiam in matrimonium haud duceret? praesertim, testati cum sitis ipsi, Pyrrhum, fororis vestrae filium, ipsum vobis morientem demandasse, vt huius natae suae curam haberetis? At agite, o boni, excusabitis forsitan obliuiositatem vestram. Credemus tantisper vobis siue oblitis, siue insciis, hoc euenisse. At Endius tamen cum mulierem desponderet atque elocaret, cur tum vos permisistis mulieri, vt tacita, et nil contra hiscens, se pateretur a fratre pro spuria Pyrrhi desponderi, vos, qui Pyrrhi auunculi essetis? praesertim, cum ipsi aiatis vos adfuisse tum, quum Pyrrhus matrem huius mulieris ea lege sibi curaret desponendam, vt eam domi suae pro legitima matrefamilias haberet; et praeterea iis epulis vos aiatis inuitatos interfuisse,

fuisse, quae ob huius filiae natiuitatem die decimo post illam partu editam celebretae fuissent; denique, id quod omnium deterrimum est, ipsi cum aiatis Pyrrhum morientem demandasse, curam huius puellae vt velletis habere. Euge praeclaram curam! Tam probe confuluistis ei, vt pateremini eam pro spuria desponderi; praesertim quae fororis vestrae nomen gereret, id quod ipsi vos pro testimonio affirmastis. Ex his itaque a me dictis, et ex tota causa, facile perspectu cuique est, quam impudentissimi sint hi homines. Auunculus enim noster si filiam rite sibi natam reliquisset, ecquo fratrem nostrum pro filio adoptato in bonis reliquisset? ideone, quod alii essent propinqui, necessitudine sanguinis propiores, quam nos; quos ille volens facultate filiam suam in iure petendi excludere, fratrem nostrum adoptasset? At neque fuit vnquam filia eiusmodi, cuius in foro petendae et obtinendae locus cuiquam fuisset, neque est. Liberis itaque nullis ingenuis ab eo relictis, nemo illi propior est, quam nos sumus. Nam neque frater illi fuit, neque nepotes ex fratre, sed nos sumus ex eius sorore nati. Atque tamen, medius fidius (ita fortassean occurret mihi quispiam) Pyrrhus alium e cognatis si adoptasset, vna cum hereditate filiam quoque ei dedisset habendam pro vxore. Ecquid, inquam, oportebat Pyrrhum ita palam quemcunque tandem cognatorum offendere? cui licebat, si reuera Nicodemi sororem sibi curasset pro matrefamilias desponderi, filiam, quae ex ea nata fertur esse, in phratoras inducere, vt ex se legitime natam, et virginem heredem vniuersae substantiae in domo sua relinquere, ea lege, vt proximus cognatus eam sibi a iudicibus curaret adiudicandam, filiorumque ex illo matrimonio exstiturorum aliquis, quicunque tandem, in nomen gentemque suam adoptaretur, et in domum suam induceretur. Constat enim,

enim, eum, si filiam heredem reliquisset, certissime cognitum atque perspectum habuisse, alterutrum horum esse euenturum, vt aut nostrum, qui cognatione sumus proximi, quisquam filiam illam suam vxorem haberet vna cum hereditate sibi a iudicibus adiudicatam, aut, si nostrum quisquam eam in matrimonium ducere recusaret, vt horum saltim auunculorum suorum alter, qui nunc [Nicodemo et Xenocli] testimonia praestant, aut certe reliquorum cognatorum quisquam pari modo, petita in iure et impetrata vniuersa hereditate, eam quoque vxorem haberet. Haec ille perfecturus erat, si filiam in phratoras induxisset, fratremque meum pro filio haud adoptasset. Eo autem, quod contra fecit, hoc est, quod fratrem meum adoptauit, illam vero in phratoras non induxit, hanc quidem pro spuria, id qnod eum decebat quoque facere, fratrem vero meum heredem bonorum suorum declarauit. Quod autem auunculus noster neque victimam nuptialem intulerit [h. e. quod matronas phratriae suae, nomine nuptae suae, Nicodemi fororis, conuiuio non exceperit] neque filiam ex illa praetensa vxore natam in phratoras induxerit, quam hi aiunt ei legitime natam esse; quamquam apud phratoras illius obtinet hic ritus, ab ipsis sancitus, vt liberi nulli habeantur legitimi, nisi hi, quos pater ipse apud se, phratoras, introduxerit; his de rebus, vt vobis constet, recitabit vobis hic [scriba] testimonium phratorum, qui olim auunculo nostro fuerunt. Recita tu. tu autem inhibe aquam. *Testimonium.* Cape hoc quoque testimonium, docens illud, ab auunculo fratrem meum adoptatum esse. *Testimonium.* Vosne iam, iudices, testimonio falso Nicodemi maiorem fidem, quam auunculi nostri extestimoniis, qui post fata etiam suprema tamen adhuc, non minus, quam si supereset, per facta de voluntate sua testatur, habebitis? et eritne

iam

iam quisquam, qui persuadere vobis conetur, quae mulier volenti cuique communis fuerit atque patuerit, eam penes auunculum nostrum loco matrisfamilias rite confarreatae fuisse? Atqui vos hoc non credetis, nisi planum fecerit id, quod initio huius orationis vrgebam, primum hoc, cuiusnam sub dotis conditione Nicodemus Pyrrho sororem suam desponderit; deinde apud quemnam Archontem ipsa mulier denuntiauerit, publicisque tabulis consignandum a tabulario curauerit, se domo mariti vltro excessisse, omnique se iure suo in substantiam et cognationem eius suo suorumque liberorum nomine abdicasse; post, a quonam Nicodemus dotem pro sorore datam sponsamue recuperarit post excessum eius, cui se ait illam spopondisse; aut, si dotem, cum reposceret, recuperare minus potuerit, quamnam intra viginti annos actionem in eum intenderit, qui Pyrrhi hereditatem tam longinquo tempore possedit, siue ita, vt pro dote poscerret alimenta eius foeminae, quam rite ait desponsam fuisse, siue vt dotem ipsam reposceret. praeterea doceto Nicodemus, num alii cuipam sororem suam desponderit, siue ante praetensam illam eius cum Pyrrho desponsionem, siue etiam post; item, num ab illa muliere, praeter istam, de qua nunc agitur, filiam, adhuc alii quoque liberi aliis, si qui tales sunt, legitime nati fuerint. Haec vobis ex illo percontanda esse existimate, neque obliuiscimini de victima nuptiali in phratoras illata interrogare. Argumentum enim hoc est non leuissimum aduersus huius [Nicodemi] testimonium. Planum enim est atque perspicuum, si Pyrrhus induci potuerit, vt mulierem hanc pro vxore legitima sibi sineret desponderi, passurum quoque eum fuisse se adduci, vt pro ea victimam nuptialem in phratoras inferret; item, vt filiam, quae ex illa muliere ipsi nata proditur, in eosdem phratoras induce-

ret pro filia sibi legitime nata atque herede substantiae tria talenta valentis. Denique, si Pyrrhus reuera mulierem illam pro legitima vxore domi suae habuisset, eius nomine, vt matrisfamilias, matronas phratorum in Thesmophoriis epulis genialibus excipere, aliaque nonnulla in demo [seu municipio] suo peragere, et fungi munia debuisset, quae vetusto ritu pro matre familias a marito, praesertim e re tam ampla et lauta, peragi et praestari debebant. Atqui horum omnium nihil factum est, de quo inter omnes constat. Phratores iam testimonium dixerunt. Accipite iam testimonia demotarum quoque, qui Pyrrho quondam fuerunt. *Testimonium.*

ORATIO ISAEI TERTIA,

agens de Nicostrati hereditate.

Hagnon hic, o iudices, Hagnotheusque familiariter me vtuntur, et iam dudum ante pater eorum quoque me pariter vsus fuit. quocirca consentaneum esse mihi videtur, me causam eorum, quam potero, diligentissime agere. Foris itaque gestorum, extra ditionem atticam, neque testes possunt inueniri, neque, si quid aduersarii de iis mentiuntur, facile est eos coarguere; quia fratrum, quos modo nominabam, neuter illuc profectus est, [vbi Nicostratus exspirauit.] Quae autem hic in Vrbe euenere, satis ea mihi videntur idonea esse documenta, e quibus constet, quicunque ex titulo donationis hereditatem Nicostrati petunt, eos omnes hoc agere, vt vobis imponant. Ante omnia itaque, iudices, nomen quaeri par est, quod in tabulis petitoriis vtrinque editum est, et diiudicari, vtri simplicius, atque rei naturae conuenientius hereditatem petierint. Hagno scilicet hic atque Hagnotheus apud Archontem professi sunt, hereditatem abs se peti Nicostrati eius, qui filius Thrasymachi

chi fuiſſet, conſobrinosque ſe eius eſſe, teſtesque huius rei exhibent. Chariades autem, eiusque aduocati, Nicoſtratum quidem, ſed alium, in ſuo libello petitorio nominarunt, eum puta, qui Smicri filius eſſet, et nihilominus hereditatem eius Nicoſtrati, qui Thraſymachi filius fuit, praetendunt ad ſe pertinere. Et hi quidem, Hagnon atque Hagnotheus, nomen illud ad ſe quicquam facere negant. nam neque ſe Nicoſtratum, Smicri filium, noſſe, neque, ſi homo eiusmodi vnquam fuerit, eum ad gentem ſuam referri. Iſti autem, [Chariades, cum aduocatis] cum Smicri filium a filio Thraſymahi diuerſum aiunt, tum tamen huius Nicoſtrati, non illius, hereditatem perinde petunt, atque hi, quorum ego cauſam ago. Et in nomine quidem Nicoſtrati, patrisque, ſi ambabus partibus conueniret, hac vna de re vos oporteret diſceptare, quidnam in teſtamento conſtituiſſet ille Nicoſtratus, cuius in nomine, patrisque, ambae partes conſentirent. Iam vero qui licet eidem homini duos patres imputare? Id enim fecit Chariades, qui, hereditatem petens eius Nicoſtrati, qui filius Smicri fuit, aduerſus hos tamen depoſito contendit ſacramento, qui hereditatem petunt a Nicoſtrato Thraſymachi filio relictam; quaſi Smicrus et Thraſymachus idem homo fuiſſent. Mera quidem haec eſt vexa, merum ludibrium, quo nos hi exagitatum atque territatum eunt, freti factione, qua ſtipati incedunt, et a qua telis omnibus nequitiae armantur, artibus iniquitatis omnibus exercentur. Exiſtimant enim, cauſam ſi ſinant ſimplicem manere, nihilque turbelae ei immiſceant, difficile his [Hagnoni atque Hagnotheo] non futurum, vt planum faciant, a Nicoſtrato teſtamentum ſcriptum prorſus nullum eſſe relictum. Sin autem patrem Nicoſtrati non eundem edentes, hereditatem nihilominus petant, certi ſunt, fore vt verborum atque tem-

poris plus conterant in docendo Nicoſtratum Thraſymachi filium fuiſſe, quam in altero euincendo, Nicoſtratum teſtamentum nullum ſcripſiſſe. Praeterea quoque, ſi Nicoſtratum confiterentur Thraſymachi filium eſſe, non poſſunt hoc arguere, neque docere, conſobrinos hos illius non eſſe. Sin autem defuncto patrem affingerent commenticium, cernebant ſe controuerſiam iecturos eſſe, non ſolum de teſtamento, ſed etiam de conſanguinitate. Verumenimuero, non ex his ſolummodo intelligatis, ſubeſſe et in inſidiis latitare certos quosdam alios homines, qui iſtos aduerſarios in hos [amicos meos] inſtigarint, atque hos in haſce turbas contentionesque coniecerint; ſed etiam ex illis, quae a principio ſtatim, [vt primum vacuefacta fuit hereditas,] euenerunt. Ecquis enim non ſuper exceſſu Nicoſtrati luctum prae ſe tulit tondenda coma, cum hereditas duum talentorum ſexies in diſcrimen concertationis forenſis venerit? ecquis non pullam induit, quaſi per luctus ſignificationem hereditatem adepturus? quot ſe mentiti ſunt cognatos Nicoſtrati, aut filios ab eo per teſtamentum adoptatos, eoque titulo bona eius ſibi arrogarunt! Demoſthenes quidem ſe nepotem eius ex fratre [vel ſorore] ferebat, ab his autem mendacii conuictus deſiſtebat. Bona ſua omnia Nicoſtratum ſibi donaſſe praetendebat aliquando Telephus, quamquam et ipſe quoque paulo poſt conticeſcebat. Amyniades puerum triennem ad Archontem afferebat, aiens eum a Nicoſtrato generatum eſſe, cum Nicoſtratus totos vndecim annos Athenis abfuiſſet. Pyrrhus Lamptrenſis Nicoſtratum aiebat bona ſua Mineruae conſecraſſe, et eundem tamen eadem ſibi quoque donaſſe. Cteſias Beſaeenſis et Cranaus iactabant Nicoſtratum, a ſe in ius vocatum, talenti mulctae condemnatum fuiſſe. quod cum demonſtrare nequirent, comminiſcebantur, eum libettum

ſuum

ſuum fuiſſe. verum ne huius quidem aſſerti veritatem approbare rebus poterant. Hi ſunt, qui ab initio hereditati Nicoſtrati inhiarunt. Chariades autem, tum quidem eam non petebat, poſtmodum vero coepit petere, neque ſolus ipſe, ſed etiam ſpurium ſuum, e meretrice quaeſitum, ſubiectum iuit Nicoſtrato, hoc conſilio, vt aut bona corriperet ipſe, aut ſaltim ſpurio ſuo ius ciuitatis acquireret. Sentiens autem ſuum de cognatione aſſertum mendacii conuictum iri, petitionem pueri quidem reſcidit, pro ſemetipſo autem ſacramentum depoſuit, vt is, cui per teſtamentum bona Nicoſtrati data fuiſſent. Oportebat quidem, iudices, quicunque ſubſtantiam quandam ex tituto donationis teſtamentariae petens, cauſa cecidiſſet, eum, non ad mulctam pro rata condemnari, ſed ad tantundem reipublicae fiſco luendum, quanti ſit ſumma bonorum ab eo petitorum. Quod ſi fieret, leges non ita contemnerentur, neque cognationes a tot impuris contaminarentur per petulantiam, neque futurus eſſet, qui defunctorum nomine ad confirmanda et incruſtanda ſua mendacia abuti auderet. Quoniam vero per leges omnibus licet, etiam quicunque extra cognationem ſunt, hereditates quorumcunque quo quisque titulo velit petere; veſtrum eſt, in huiusmodi cauſas quanta poteritis ſumma diligentia inquirere, nullumque locum non excuſſum transmittere. Et in hoc ſolo genere cauſarum, hereditario puta, videntur ad fidem faciendam validiora etiam eſſe indicia, quam ipſi teſtes. Nam in caeteris quidem contractibus haud admodum difficile eſt falſa teſtatos coarguere, ſuperſtite adhuc et in Vrbe praeſente eo, quem teſtati ſint hoc vel illud egiſſe. In cauſa vero hereditaria ecqui falſi teſtes noſcitabuntur? dummodo intertrimenta et differentiae poſtulationum non nimis abnormes atque manifeſtae ſint; illo ipſo, de cuius dictis factisue teſtimo-

nium perhibetur, viuis exemto, cognatisque ea, quae ab illo gesta et constituta sint, prorsus ignorantibus; denique vbi scrutinium ipsum diligentissima cum seueritate exerceri nequeat. Adde, quod testamenta condentium plerique ne ipsis quidem illis, qui adsunt, quid in tabulis abs se scriptum atque constitutum sit, significant, sed ideo solummodo adstare iubent, quo conscii sint, atque testentur, testamentum esse scriptum atque relictum. Etiam hoc vsu quotidiano venire solet, vt tabulae permutentur verae subditiciis, et vt in tabulas hasce subditicias ingerantur prorsus contraria iis, quae defunctus ipse veris in tabulis constituisset. Nam qui testamenti scriptioni interfuerunt, non ideo magis, quod interfuere, certo sciunt, veraene sint hae testamenti tabulae, quae in iudicio proferuntur, an subditiciae. Quod si itaque illi ipsi adeo decipi possunt, quos, cum testamenta scriberentur, interfuisse in confesso est, quanto quis vos promtius atque cupidius circumuenire conetur, qui rerum gestarum nihil teneatis? Porro, iudices, non omnia omnino testamenta lex iubet esse rata, sed ea solummodo, quae scribens quisque suae mentis esset compos. Ante omnia itaque dispiciendum vobis est, num [Nicostratus] testamentum scripserit; tum, si scripserit, rectene sapiens scripserit, an desipiens. Aientibus enim aduersariis testamentum esse relictum, nobis contra negantibus, ecqui decernetis a delirante scriptum esse, priusquam certo constiterit de hoc, quod testamentum scripserit? Videtis, quam difficile sit deprehendere, num vera dicant hi, qui ex titulo donationis testamentariae hereditates petunt. Cognationis autem ex titulo petentes nil habent opus vt testes producant, ad docendum de iure, quod iis est, hereditates petendi. Constat enim inter omnes, defuncti cuiusque bona ad proximos in sanguine deuenire. Deinde non illae solummodo leges,

ges, quae iura cognatorum definiunt, sed hae quoque, quae de donationibus per testamenta faciundis praecipiunt, secundae sunt cognatis, vetantes, quemquam bona sua cuiquam dare, aut praesenio delirantem, aut furiosum per valetudinem, aliisque de causis, quas vos omnes tenetis. Cognatione autem vt quisque proximus est, ita defuncti bona adit et suscipit, quaecunque defuncti conditio, siue sana ei mens, siue aegra fuit. Praeterea testamentis non potestis fidere, nisi per interuentum testium. a quibus facile factu est vt decipiamini. Nam si testes nulli fallaces essent, ab iisque vos falli si negatum esset, eccur institutae et in vsu fori essent actiones exceptoriae de falsis dictis testimoniis? Cognatione autem fidere vobis licet per vosmet ipsos. Cognati enim de hereditatibus ex illarum legum praescripto certant, quas ipsimet vos sanxistis. Etiam ad hoc vos mentem attendere velim, iudices. Aduersarii ex titulo testamentariae donationis hereditatem Nicostrati petentes, si tam familiariter vsi Nicostrato fuissent, vt ea de re inter omnes constaret, non consequeretur quidem ex eo planissime, Nicostratum illis bona sua legasse; foret tamen multo tum spes probabilior, illos tabulis testamenti fidem oratione sua esse adstructuros. Complures enim visi sunt, quod animo a cognatis essent alieniore, amicos iis praetulisse, nulla secum necessitudine sanguinis coniunctos. Iam vero constat, hos aduersarios nostros Nicostrato nullo plane pacto conciliatos fuisse. neque enim ei contubernales fuerunt, neque familiares, neque in eodem ordine aciei steterunt. Quibus de rebus omnibus testes ad vos produximus. *Testes.* Quod autem hac in re palmarium est, et in primis impudentiae Chariadis obloquitur. A quo Nicostrato Chariades heredem se fert testamento scriptum, eum Nicostratum idem Chariades neque defunctum extulit do-

mo, neque rogo impoſuit, neque oſſa eius legit, ſed iſta omnia iuſta aliis hominibus, a Nicoſtrato alieniſſimis, peragenda permiſit. Ecqui iam non ſit ille dignus, quem facinoroſiſſimum atque ſacrilegio contaminatiſſimum appelles, qui, cum iuſtorum omnino nihil defuncto feciſſet, poſtulare tamen non dubitet, vt ad eius hereditatem admittatur? At enimuero, quanquam Chareades horum omnium nihil fecit, facultates Nicoſtrati tamen adminiſtrauit? Atqui vel hanc ipſam quoque moleſtiam nobis demandauit, et horum pleraque ne ipſe quidem infitiatur, ſed praetextus neſcio quos, ſi dis placet, neceſſarios, ipſe ſibi commentus, profert, facto cuique ſuo excuſando. Ecquid enim reliquum, quod obloquatur, ei eſt, qui diſertis verbis crimen fateatur? Tenetis iam rem, iudices, certique eſtis, iſtos Nicoſtrati bona, non fiducia bonae cauſae, neque iure certo fretos, appetere, ſed hoc agere, vt cum vos decipiant, tum hos, [quorum ego cauſam ago,] qui Nicoſtrati cognati ſunt, et quibus leges bona eius contribuunt, illis euertant. Verum non Chariades ſolus id agit, ſed alii quoque complures egere. Saepe enim vſu venit, vt, cum extra ditionem atticam defuncti quidam eſſent, alii, qui illos ne natos quidem noſſent, eorum tamen hereditates in iure peterent. Cogitant nempe ſecum illi ſic, ſiue cupitis ex animi ſui ſententia potiantur, ſe bona aliena [nullo ſuo pudore parta] eſſe habituros; ſiue a ſpe atque deſtinatione ſua aberrent, leue tamen et exiguum diſcrimen adiſſe. Eſſe quoque, qui linguam venalem, ad falſa teſtimonia dicendum paratam offerant. Examina inſtituenda in rebus obſcuris aegreque explorabilibus verſari. Breuis vt ſim, permultum intereſt, ſiue ex cognationis neceſſitudine, ſiue ex teſtamentariae legationis praetenſione, hereditates petantur. Vos autem, iudices, primum hoc oportet quaerere, ſitne probabile vobis, teſtamen-

ſtamentum a Nicoſtrato ſcriptum eſſe. Aequum enim leges id cenſent eſſe, et eſt rerum omnium aequiſſimum. In eiusmodi autem cauſa, cuius neque vos veritatem perſpicue cernatis, neque teſtes Nicoſtrato vſi ſint familiariter, ſed Chareade vtantur, homine cupido bonisque alienis inſidiante, ecquid aliud aequo iuri ſit conuenientius, quam vt cognatis ſuperſtitibus bona cognati defuncti a vobis contribuantur? Nam et his ſi fatalis hora fuiſſet obeunda, et Nicoſtratus ſi eos viuendo ſuperaſſet bona eorum ad hunc fuiſſent peruentura. Nam ex quo titulo conſanguinitatis hi nunc bona Nicoſtrati petunt, ex eodem ille tunc, ſi fors viuendi vices permutaſſet, horum bona petiſſet, quippe qui conſobrinus illis eſſet. Pater enim Nicoſtrati, horum patri frater fuit. Atqui, medius fidius, Hagnon atque Hagnotheus cognati Nicoſtrati non ſunt, ſed alius alicuius? vt aduerſarii aiunt. Cur ergo tam ſtulti coecique ſunt [teſtes,] vt Chariadi quidem, ex titulo teſtamentariae donationis hereditatem petenti, operam praeſtent teſtimonio dicendo, ipſi vero non audeant ex titulo conſanguinitatis hereditatem eandem pro ſe petere, [ſi certi ſunt, veram hanc eſſe criminationem, proprioresque ſe Nicoſtrato confidunt eſſe, quam hi ſunt adoleſcentes?] Non enim profecto eo ſtultitiae proceſſerunt, vt ex certa perſuaſione, verum eſſe illud a ſe prolatum teſtimonium, tam facile atque tam ſupine Chariadi de bonis Nicoſtrati omnibus decedant. Quid? quod ex ipſis iis, quae hi aduerſarii noſtri dictitant, eluceſcit, ipſismet multo magis expedire, vt Nicoſtrati cognati hereditatem eius in iure petant, quam vt Chariades id faciat. Nam etiamſi hi [adoleſcentes mei] hereditatem ex titulo conſanguinitatis a ſe petitam nunc abſtulerint a iudicibus ſibi adiudicatam, licebit tamen his quoque [Chariadis aduocatis et teſtibus] impoſterum, vbi volent, eandem ex eodem co-

gnationis titulo petere, atque planum iudicibus tum facere, se Nicostratum gradu consanguinitatis propiore adhuc contingere, quam hi [adolescentes mei] eum contingant, et Nicostratum, [illum, cuius de hereditate certetur,] Smicri filium fuisse, non Thrasymachi. Sin autem Chariades hereditatem Nicostrati adipiscatur, non licebit postmodum vlli ex eius consanguineis illam in iure petere. Vbi enim hereditatem tenebit is, qui petitam ex titulo testamentariae donationis a iudicibus abstulerit adiudicatam, ecquid afferent hi, si qui ex titulo cognationis petant? Quod igitur in re simili vnusquisque vestrum ipsimet sibi ius aequum esse censuerit, idem his quoque adolescentibus ratum facite, qui testes exhibuerunt, confirmantes, primum hoc, eos Nicostrati consobrinos patrueles esse; tum alterum istud, nullas vnquam iis cum Nicostrato simultates interfuisse; tertium denique illud, sepultum ab iis esse Nicostratum; quartum tandem, Chariadem Nicostrato nusquam locorum, neque hic, in Vrbe, neque in castris vsum fuisse familiariter; quintum postremo, communionem, qua Chariades hic maxime fidit, mentitam esse. Et praeterea, iudices, aequum est, vos partium inter se contendentium vnamquamque seorsim spectare, et eorum mores inter se comparare. Thrasippus enim, qui pater huius Hagnonis et huius Hagnothei fuit, olim cum superesset, et muniis functus est sumtuosis, et aerario contulit, et caetera quoque ciuis frugi fuit. ipsi autem hi, [filii eius] neque vsquam locorum, quo non essent a vobis ire iussi, profecti sunt. neque, in Vrbe commorantes, inutiles reip. fuerunt, sed militia funguntur, et de suo conferunt ad aerarium, et reliqua omnia imperata exsequuntur, et pudentes probosque se, de quo inter vos omnes constat, praebent. quocirca multo etiam digniores sint, quam Chariades, qui here-

hereditatem Nicoſtrati ex titulo teſtamentariae donationis petant. Nam videte quam ſceleroſus et impurus homo Chareades ſit, qui, Athenis adhuc habitans, pro fure ipſo in facinore deprehenſo in carcerem abductus eſt, vnde poſtmodum vna cum aliis quibusdam emiſſus eſt ab iis Vndecimuiris, quos publice condemnatos ſupplicio affeciſtis omnes. Tempore interiecto poſt iterum Chariades, vt falſarium agens, aut malas artes exercens, ad ſenatum delatus eſt; a quo citatus non comparuit, ſed iudicii poenaeque ſeueritatem deuitans, Vrbe exceſſit, ab eoque inde tempore totos ſeptendecim annos Athenis abfuit, neque rediit prius, quam poſt exceſſum Nicoſtrati. Pro ſalute veſtra quidem nullam vnquam obiit militiam, neque ſuo de penu veſtro quicquam contulit, praeter illud exiguum aes, quod hac in cauſa ſuper hereditate Nicoſtrati dependit, neque alia quapiam functione ſumtuaria functus eſt. Et tamen, huiusmodi cum eſſet, non congratulatur ſibi, neque ſatis habet, quod tot et tanta ſcelera impune patrarit, ſed aliena quoque appetit? Quod ſi hi [Hagnon et Hagnotheus] curioſi et ſeduli in rebus alienis rimandis, in eoque ſimiles multis aliis noſtrorum ciuium eſſent, neſcio an Chareadi nunc, non haec hereditaria, ſed capitis cauſa agenda eſſet. Verum enimuero, hunc quidem alius aliquis vlciſcetur, iudices; vos autem his [adoleſcentibus] ſuccurrite, neque maioris facite alienorum per nefas appetentes, quam defuncti cognatos, eosdemque praeterea quoque bene de illo merentes. Sed et legum recordamini, iurisque iurandi a vobis dicti, et teſtimoniorum denique, quae nos vobis exhibuimus, et ſic ſententiam ex aequo et vero pronuntiate.

ORATIO

ORATIO ISAEI QVARTA,

versans in Dicaeogenis hereditate

Opinabamur quidem, iudices, quibus de rebus antehac litigabamur, de iis in iudicio condicta et compromissa rata nobis et valida esse futura, vt nempe, qui Dicaeogenes se bessem [seu duas tertias partes] hereditatis vacuefacturum nobisque concessurum dixisset, eiusque rei sponsores dedisset, illam bessem nobis a se traditum iri controuersiae haud obnoxiam, is Dicaeogenes etiam faceret ea, quae esset pollicitus facturum. Qua fide etiam nos alteri alteris grauamina nostra mutua remisimus. Verum Dicaeogene verbis fidem non faciente, Leocharetem, pro illo sponsorem factum, in ius vocamus, pro tenore iurisiurandi ex aduerso et mutuo dicti. Recita tu mihi formulam huius iurisiurandi vtrinque vicissim praestiti. *Iusiurandum mutuum.* Vera itaque esse ea, quae in formula nostri contraiuramenti affirmauimus, Cephisodotus hic nouit, testesque ad vos producemus primum de hoc, quod Dicaeogenes besse hereditatis se abdicarit, eaque nobis decesserit; tum de isto, quod Leochares huius rei sponsorem se scribi passus fuerit. *Testimonium.* Audiuistis, iudices, e testibus, quos verum dixisse, ne ipse quidem Leochares videtur infitiaturus esse. At enimuero receptum forsitan ad hanc habebit excusationem, vt aiat Dicaeogenem omnibus nobiscum pactis et stipulatis satisfeciisse, sponsionemque a se, Leocharete, factam, praestitam et persolutam esse. Quae cum aiet, mentietur, facileque falsi conuincetur. Recitabit enim scriba vobis, quaecunque Dicaeogenes [ille vita defunctus, nominis huius medius] Menexeni filius, in hereditate reliquit, et quam suppellectilem [seu instrumenta villatica hic tertius Dicaeogenes sibi tradita in fidem] suscepit. Haec si negabunt [aduersarii]

ſarii] Dicaeogenem, auunculum noſtrum, dum adhuc ſupereſſet, poſſediſſe, nobisque vita decedentem per teſtamentum legaſſe, planum id atque teſtatum faciunto. Sin autem et illum iſtaec quondam poſſediſſe, et nos tradita nobis a reo abſtuliſſe aient, prodito in conſpectum teſtis haec confirmaturus. Dicaeogenes enim [tertius, ſeu reus] quod receperit tradendam a ſe nobis beſſem bonorum a Dicaeogene, Menexeni filio, quondam poſſeſſorum, et quod Leochares ſponſorem ſe conſtitui paſſus ſit de praeſtandis his a Dicaeogene compromiſſis, id nos teſtibus producendis confirmauimus. Nam de his ipſis in iure contendimus, et haec, dicendo iureiurando mutuo recepimus, ille ſe facturum, nos rata eſſe habituros, iisque acquieturos. Recita tu illud iusiurandum. *Iuramentum mutuum.* Quod ſi iam, iudices, hunc locum Dicaeogenes atque Leochares in defenſione ſui ſolum eſſent tractaturi, ſufficerent hactenus dicta nobis quoque, neque verbum adderemus. Quia vero parati ſunt, narrationem de hereditate a principio inde repetere; induxi ego quoque animum, totam rem, vt geſta eſt, vos docere; quo certiores de rei geſtae veritate facti, non autem mendaciis circumuenti, ex animi veſtri ſententia decernatis. Menexeno, auo noſtro, nati ſunt, filius quidem vnus ſolummodo, Dicaeogenes, filiae autem quatuor; quarum vnam domum duxit Polyaratus, pater meus, aliam Democles Phrearrhius, aliam Cteſiphon Paeanienſis, aliam denique Theopompus, qui eam matrem Cephiſodoti fecit. Iam Dicaeogenes quidem, cum e portu ſoluiſſet in Parhalo, cui cum imperio trierarchi praeerat, pugnans apud Cnidum occubuit, nulla prole relicta. Defuncto hoc Dicaeogene, pater Dicaeogenis [iſtius, cum quo controuerſiam hanc agitamus] Proxenus teſtamentum protulit, cui fidem habentes patres noſtri hereditatem creuerunt, et ſic factus eſt hic Dicaeogenes illi Dicaeogeni, Menexeni filio, filius adoptiuus,

ea le-

ea lege, vt sola triente [seu vna tertia hereditatis parte] contentus esset; reliquorum autem partem ratam sibi a iudicibus adiudicari curabat vnaquaeque Menexeni filiarum. Haec ita, vt aio, acta fuisse testes edicent, qui tum, cum agerentur, interfuere; quos ego testes coram vobis producam. Interposito itaque iureiurando cum cauissent, non commissuros, vt pacta conuenta violarentur, possedit vnusquisque portionem hereditatis suam, duodecim per annos, et quamquam iudicia interea temporis exercerentur, neque forum clausum esset, nemo tamen fuit tam longinquo tempore, qui ausus esset, affirmare, per nefas ista acta fuisse. Tandem vero rep. rebus aduersis vsa, obortaque seditione et tumultu, concitatus hic [Dicaeogenes] a Melane Aegyptio, cui aliis quoque in rebus obsecundauit, vniuersam coepit hereditatem petere, affirmans, ab auunculo nostro se heredem ex asse scriptum esse. Furere nos quidem illum autumabamus, eiusmodi causam in forum deferentem; verumenimuero, tametsi nunquam euenturum sperauerамus, vt vera prae se ferre vobis videretur is, qui idem modo cum triente, modo ex asse adoptatum se ferret; tamen ingressi forum, cum et multo plura, quam illi, argumenta proferremus, multisque modis aequiora, tamen iniuriam accepimus, non a iudicibus, sed a Melane Aepyptio eiusque amicis, qui per turbida ista reipublicae tempora sibi datam existimabant licentiam aliena impune diripiendi, falsisque dicendis testimoniis mutuo sese subleuandi. Ab his itaque talium facinorum exercitatione nobilitatis decipiebantur, qui tum sedebant ius dicturi, iudices, et nos a procella falsorum testium obruti nostra perdebamus. Nam pater haud multo post litem ita disceptatam, viuis excessit, priusquam actionem in falsos testes capessere posset. Dicaeogenes autem causa factus superior, eadem protinus die Cephiso-

phisophontis Paeanien∫is filiam ex illa portione, quam ∫ortita fuerat, expulit, tametsi Dicaeogenis defuncti, a quo controuer∫a illa bona relicta fuerant, ex ∫orore neptis e∫set. Democlis item viduam iis ∫poliauit, quae Dicaeogenes quondam, ipsius frater, ei dederat. Cephisodoti quoque matrem, ipsumque hunc Cephisodotum bonis omnibus denudauit, quippe qui horum [Cephisodoti puta, fratrumque eius, et matris] idem tutor et curator atque aduer∫arius e∫set. Verum ne minimo quidem sen∫u neces∫itudinis ad miseri cordiam his impertiendam flectebatur, sed committebat, vt ad orbitatem eorum paupertas quoque accederet, atque ab amicis et protectoribus solitudo, adeo vt vel in diem neces∫ariis ad victum cultumque rebus carerent. Tam praeclare Dicaeogenes hic tutelam eorum ge∫sit, qui arctis∫ima con∫anguinitate iunctus ipsis e∫set. Theopompus, pater, quae his reliquerat, ea Dicaeogenes hic inimicis eorum prodidit, et quae auunculus auusque maternus ipsis legauerant, ea ipse illis per nefas, etiam nondum iure sibi addicta, eripuit. Quod dictu factuque est indigni∫simum, pueri adhuc cum hi essent, emebat domum ab eorum patre relictam, hortumque illi domui adiunctam cum de∫truxi∫set, illam domum cum domo, quae ipsi [Dicaeogeni] in Vrbe est, copulauit, interponendis structuris, vt illae quondam duae domus iam pro vna haberi possint; et quamquam e Dicaeogenis bonis, auunculi nostri, locar annuum octogenas minas redigat, tamen Cephisodotum, Dicaeogenis [medii] e sorore nepotem, Harmodio, fratri suo, Corinthum proficiscenti, pro famulo addidit. Et reliquis, quibus eum ipse demersit, malis hunc veluti cumulum addit, quod ei per probrum obiectet, quod ocreas atque penulam ge∫tet, non recognitans, ipsum se∫e summam ei feci∫se iniuriam, eo, quod bonis omnibus eum priuarit, eoque ad mendicitatem rede-

redegerit. Verum haec hactenus. Illuc redeo, vnde exceſſeram. Menexenus itaque, Cephiſophontis filius, Cephiſodoti huius itemque meus conſobrinus, cui portio hereditatis par meae competit, actionem aduerſus eos inſtituit, qui nobisque, ipſique [Menexeno] aduerſa et noxia teſtati fuerant; Lyconemque, quem primum in iudicium induxerat, reum peregit; qui Lyco teſtatus fuerat, ab auunculo noſtro Dicaeogenem hunc, qui adhuc ſupereſt, ea lege fuiſſe adoptatum, vt bonorum ſuorum ex aſſe heres eſſet. Haec ille Lyco teſtatus, falſi dicti teſtimonii conuictus eſt. Dicaeogenes itaque eo redactus, vt iam non amplius vos decipere poſſet, quid egit? perſuaſit Menexeno, noſtramque ſuamque cauſam communem agenti, (pudet enimuero prodere, quae propter illius [Dicaeogenis puta atque Menexeni] improbitatem proloqui cogor) quidnam facere? ratam hereditatis portionem ſibi contingentem a ſe aufferre, gratiaeque in mercedem nos, quorum cauſam ageret, ſibi prodere, reliquosque falſos teſtes in forum nondum ab ipſo pertractos, miſſos facere, venia perſecutionis forenſis ipſis conceſſa. Haec nos, ab amicis pariter inimicisque tolerantes, tamen quieuimus; et producam ad vos teſtes nobis huius rei futuros. *Teſtes.* Verum pactus iſtaec cum Dicaeogene Menexenus, ab iſto deluſus fuit. id quod ei recte, ſic merito, contigit. Falſorum enim teſtium a perſecutione cum deſtitiſſet Menexenus, atque nos prodidiſſet, fraudatus eſt iis emolumentis, quorum ſpe illectus illam perfidiam ad ſe admiſerat. Iniuriam hanc a Dicaeogene paſſus Menexenus rurſus ad noſtras partes rediit, et nos, arbitrati, Dicaeogeni iam nullam amplius hereditatis portionem competere, poſtquam teſtes ab eo ſubornati, falſi dicti teſtimonii coarguti eſſent, de integro cum eo de vniuerſa hereditate ex titulo propioris conſanguinitatis contendimus. Qua

in re

in re nos rectum cepisse consilium, et Dicaeogenem omni prorsus iure habendae tenendae hereditatis excidisse, facili negotio videor mihi demonstraturus esse. Binae enim, diuersi tenoris, tabulae eiusdem testamenti prolatae fuerant, alterae quidem dudum ante, alterae autem multo post. Et primae quidem illae vetustiores, a Proxeno, huius Dicaeogenis patre, prolatae, Dicaeogenem hunc auunculi nostri filium adoptiuum ea lege faciebant, vt is trientem solummodo hereditatis haberet; posterius autem ab ipso Dicaeogene prolatae hunc ipsum heredem ex asse declarabant. Harum binarum tabularum alteras quidem, illas a Proxeno proditas, Dicaeogenes ipse iudicibus auctor fuit, atque persuasit, vt crederent aienti, commentitias esse; quas autem ipse Dicaeogenes protulit, eas qui testes affirmauerant ab ipso auunculo nostro scriptas atque relictas esse, hi testes falsi dicti testimonii conuicti sunt. Ambabus itaque illis testamenti tabulis pariter debilitatis atque abrogatis, aliasque nullas, praeter has, exstare cum in confesso sit, liquet iam neminem esse, cui hereditas ex titulo testamentariae legationis competat; ex titulo consanguinitatis autem solis eam competere sororibus Dicaeogenis defuncti, a quo hereditas istaec relicta est. quarum filiae sororum nostrae sunt vxores. Quocirca visum nobis fuit, in iure petere hereditatem ex titulo propinquitatis; et sic petiuimus portionem vnusquisque sibi ratam. Verum in eo iam cum essemus, vt formulis iurisiurandi mutui a iudicibus adigeremur [nos actores hinc, et illinc reus, de veritate eorum tuenda et praestanda, quae pars quaeque pro se esset dictura] interceßit Leochares hic, obnuntians, hereditatem hanc controuersiae haud esse obnoxiam. Quem testem cum reiiceremus, exceptione vsi falsi dicti testimonii, petitio quidem hereditatis antiquabatur, contra vero

actio de falsitate dicti testamenti inducebatur. Ibi cum nos omnia dixissemus eadem, atque nunc dicimus, itemque Leochares sui purgandi causa multa protulisset, pronunciarunt tandem iudices, Leocharetem falsa testatum esse. Quod cum palam esset factum e suffragiis, cum illa suffragia e cistulis essent exemta, quae quidem Leochares iudicesque, ipsosque nosmet rogauerit, et quae a nobis tum impetrare rogando atque perficere potuerit, nescio an minus necesse sit a me copiosius enarrari. Satis est ea vos audire, de quibus inter nos conuenit. Nobis nempe concedentibus Archonti, vt suffragia non dinumerata confunderet, abdicabat ipse sese Dicaeogenes de besse hereditatis, eamque fororibus Dicaeogenis defuncti permittebat, promittens sese portiones illas nostrum vnicuique debitas sine vlla controuersia nobis esse traditurum; eaque de re Leochares, vt sponsor, fidem suam interponebat, aiens, Dicaeogenem esse, quae promisisset, facturum; neque Leochares solummodo spondebat, verum etiam Mnesiptolemus Plotensis. Quarum rerum vobis hos edam testes. *Testes.* Nobis itaque, vt a Leocharete tam indigna passis, cum liceret eum infamia notare, vt falsi dicti testimonii conuictum, noluimus tamen, sed satis habuimus, vbi nostra nobis debita abstulissemus, quiescere atque a contentionibus desistere. Verumenimuero, quamquam tam benignos mitesque nos erga Leocharetem atque Dicaeogenem gessissemus, tamen ab ipsis lusi fuimus, o iudices. Nam neque Dicaeogenes, quam hereditatis bessem nobis a se tradendam coram iudicibus recepisset, eam nobis tradidit, et Leochares se negat tum temporis pro Dicaeogene sponsorem esse factum. Atqui, factum qui infitiatur id, cuius testes fuerunt iudices, numero quingenti, et reliqua tam densa corona ciuium iudicium tum actum circumstantium, quid ille vobis

factu-

facturus videtur, si pauciores, minorisque auctoritatis testes habuisset? Manifesto itaque illos mentiri constabit vobis e testibus, quos exhibuimus; qui testes coram aderant, quo tempore Dicaeogenes quidem besse hereditatis se abdicabat, eamque fororibus Dicaeogenis defuncti sine vlla controuersia a se tradendam recipiebat, Leochares autem sponsor fiebat, quae Dicaeogenes verbis recepisset, ea reapse quoque esse praestiturum. Sed et vos, o viri, rogamus, quotquot rei tum gestae interfuistis, vt, num vera dicamus, a memoria vestra requirere, nobisque succurrere velitis. Nam si vera dicit Dicaeogenes, quid nobis prodest causa vicisse? qui meliore ideo loco sumus, quam fuimus ante victoriam? aut quanam in re conditione ille nunc est deteriore, postquam causa cecidit, quam fuit antequam condemnaretur? Annon eadem bona adhuc possidet, quae pridem possedit, nil imminuta? Nam si verbotenus tantum, id quod ait, besse destitit, neutiquam autem promisit eam traditurum nulli controuersiae obnoxiam, ecquod tandem detrimentum accepit ab illa sua cessione bonorum? Habet enim adhuc tenetque valorem eorum. Ipsa enim bona ne habuit quidem, antequam causa caderet, sed habent illa hi, qui ab illo cum emissent, aut pignoris loco accepissent, pecunia parata compensarunt; quam pecuniam debebat Dicaeogenes ipsis reluere, et sic nostrum cuique ratam suam portionem ex debito restituere. Ideo enim sponsores ab eo postulauimus, et datos accepimus, non fidentes illum, absque illa cautione, promissis suis vltro re ipsa fidem esse facturum. Nam praeter par domuncularum extra moenia, et sexaginta iugera in Pedio, nil retulimus, sed illi reliqua habent, qui aut emerunt ab eo, aut oppignerata sibi habent; quos inde non deducimus, ne, id si fecerimus, in iudicio condemnati, mulctas debeamus. Nam Micionem

quoque quod balneo deduxiſſemus, id quod iuſſu Dicaeogenis feceramus, negantis ſe emtionis vindicias praeſtiturum, quadraginta minis condemnati ſumus, fraude Dicaeogenis decepti. Exiſtimantes enim, Dicaeogenem haud eſſe commiſſurum, vt quibus ipſe ſeſe bonis in iudicio abdicaſſet, et quae nobis conceſſiſſet, eorum emtionem vt legitime factam et adhuc validam praeſtaret, aduerſus Micionem coram iudicibus affirmabamus, paratos nos eſſe nihil non pati, nullamque poenam detrectare, ſi Dicaeogenes auderet ipſi, Micioni, balnei emtionem, vt rite legitimeque factam et adhuc validam praeſtare. Opinabamur enim, illum ſponſiones ſuas nunquam factis eſſe refutaturum; idque futurum confidebamus nullam aliam ob cauſam, quam ob ſponſorum auctoritatem, qui fidem ſuam hac de re interpoſuerant. Verumenimuero, quamuis Dicaeogenes illis ipſis portionibus hereditatis deceſſiſſet, quibus ſe nunc fatetur noſtri cauſa deceſſiſſe, Micioni tamen balneum confirmauit, [h. e. affirmauit, Micionem illud a ſe, vt a legitimo eius domino et venditore, cui nemo facultatem ſua pro lubitu vendendi, eripere poſſit, legitime emiſſo, ideoque Micionem illud balneum optimo titulo tenere, ex eoque, vt e peculio ſuo recte et honeſte parto, deduci nullo modo poſſe.] Sic ego miſer non modo nullum huius hereditatis fructum percepi, ſed praeterea quoque propter eam quadraginta minis mulctatus fui. et diſceſſi contumelia a Dicaeogene affectus. Etiam huius rei teſtes vobis praeſtabo. *Teſtimonium.* Haec nos, o iudices, a Dicaeogene paſſi ſumus. Leochares autem, a quo haec omnia profecta et nobis conflata ſunt, cum pro illo ſpopondiſſet, negat ſe ea ſpopondiſſe, quae tamen ab eo ſponſa eſſe teſtes noſtri edicunt, hoc fretus argumento, quod horum nulla mentio fiat in tabulis coram iudicio conditis. Nos autem, o iudices,

tunc

tunc temporis in tribunali festinantes, alia in tabulas referri, et disertis verbis exprimi curauimus, alia solummodo antestati sumus [h. e. operam dedimus, vt testes nobis essent, qui reciperent iis de rebus se requisitos esse testaturos.] Hi autem [Dicaeogenes puta et Leochares cum factione sua] eas solummodo seruant conditiones, quae e re ipsorum sunt, easque ratas aiunt esse, etiamsi in tabulis scriptae et verbatim expressae non sint; quae autem ipsis minus conducunt, eas, scriptae si minus fuerint, ratas esse negant. Ego vero, iudices, nil miror eos pacta infitiari verbis solummodo inita. Nam ne scripta quidem seruare et exsequi volunt. Vera autem ea esse, quae nos aimus, aliud adhuc argumentum proferam, vnde cernatis. Protarchidi Potamio Dicaeogenes in matrimonium collocauit sororem meam, cum dote quadraginta minarum, et loco dotis domum ei tradidit in Ceramico sitam. Huic mulieri, quam Protarchides adhuc in matrimonio habet, aequalis portio hereditatis competebat, atque matri meae. Quum igitur Dicaeogenes mulieribus de besse hereditatis concessisset, rogabat Leochares Protarchidem, vt sibi traderet domum elocaticiam. [seu elocationibus habitaculorum mercedes annuas merentem] quam pro dote Protarchides habebat. A se enim, [Leocharete] vt sponsore ipsum [Protarchidem] partem hereditatis vxori eius debitam ablaturum esse. Nactus his orationis praestigiis Leochares illam domum elocaticiam, hereditatis portionem Protarchidi non tradidit, eaque de re testem Protarchidem vobis exhibebo. *Testis.* De reparatione balnei autem, eiusque instrumento a se suppleto, et aedificationibus, si nunc quoque proferet eadem, quae iamdudum praetendit, nos nimirum, quos ei sumtus factos refundendos recepissemus, eos non refudisse, et propterea se non potuisse creditoribus satisfacere, ideoque nobis quo-

que ea non potuisse tradere, quae deberet; occurram ei sic. Quo tempore, iudices, coram iudicio tum super hac re habito, eum cogebamus, his de bonis, [quae nobis debet, et quorum vsucapinone nos arcet] decedere in compensationem sumtuum ab ipso tum in munera publica horum bonorum nomine, quam in aedificationes factorum, permisimus illi horum bonorum vsum fructum, [illo duodecennio perceptum, quo illa tenuisset] ita fieri debere censentibus iudicibus iis, qui tum sedebant. Tempore post dedimus ei, non coacti, sed sponte nostra, veluti praecipuum aliquod a reliqua massa separatum, domum in Vrbe, quam haberet adhuc praeter trientem hereditatis, in compensationem reparaturarum, quas ait a se factas. Domum hanc Dicaeogenes Philonico quinquaginta minis vendidit. Dedimus autem nos illam domum Dicaeogeni, iudices, non ob illius probitatem atque comitatem, sed quo testatum faceremus, diuitias a nobis pluris non fieri, quam necessarios, sint licet quam nequissimi. Nam antea quoque, quum penes nos esset Dicaeogenem vlcisci, et fortunis denudare omnibus, tamen noluimus bonorum eius vllam in partem inuadere, sed satis habuimus, nos nostra recuperare. Ille contra, superior factus, spoliauit nos, et quaecunque potuit, nobis eripuit, et pessumdare nos laborat, non vt cognatos, sed vt inimicos homines. Proferemus adhuc aliud ingens et euidens documentum, et morum nostrorum, et scelerositatis, qua Dicaeogenes hic obsessus tenetur. In eo cum esset actio aduersus Leocharetem, vt in tribunal inferretur, mense Maemacterione, iudices, conueniebant nos Leochares atque Dicaeogenes, rogantes, vt prosecutione litis forensi aliud in tempus reiecta, viam compositionis per arbitros prius experiremur. Quibus nos, quasi minuta quapiam in re laesi, assensi, quatuor arbitris litem permisimus

disceptandam; quorum binos alteros nos adducebamus, alteros illi. Coram his promisimus, nos ab eorum arbitratu non discessuros, sed ei acquieturos esse, atque compromissum hoc iureiurando sanximus; et arbitri prae se ferebant, si fieri posset, vt bonam in gratiam nos reconciliarent, litemque nostram blandis et commodis verbis expedirent, se facturos iniuratos; sin autem minus, etiam se ipsos iusiurandum dicere haud esse recusaturos, eoque dicto, sic demum declaraturos, quae sibi nostra in causa iusta et aequa esse viderentur. Hoc pacto cum nos iterum iterumque interrogando, seorsimque et copulatim percontati essent, rerumque gestarum ordinem intellexissent, arbitrorum alteri quidem, illi duo, quos ego mihi delegeram atque tuleram, Diotimus et Melanopus, parati erant sententiam pronuntiare, siue iurati, siue non iurati, prout placeret nobis, quatenus e dictis et auditis colligere potuissent verissima atque aequissima esse. Quos autem Leochares arbitros tulerat, hi nolebant iniurati pronuntiare, tametsi alter eorum, Diopithes, Leocharis affinis erat, [sororem ipsius in matrimonio penes se habens, seu data sua Leochareti sorore in matrimonium] mihi vero inimicus atque aduersarius in negotiis quibusdam forensibus; alter autem, Demaratus, frater illius erat Mnesiptolemi, qui vna cum Leocharete pro Dicaeogene spopondit. Hi ergo duo pronuntiare recusabant, tametsi nos iureiurando adegissent, nos a sententia ab ipsis pronuntianda haud esse discessuros. Testes huius rei vobis exhibebo. *Testes.* Foret vtique res grauis atque indigna, si Leochares vos rogaret, iudices, vt se absolueretis eadem in ipsa causa, in qua Diopithes, affinis eius qui esset, ipsum condemnauit. Et qui deceret vos Leocharetem ab illa culpa liberare, a qua ne necessarii quidem liberarunt? Quare vos rogo, si iniqua non cupimus, vt Leochare-

tem condemnetis. Indignus enim est Dicaeogenes vestra commiseratione atque contentione bene de eo merendi. Neque enim pauper et in re curta est, neque de rep. praeclare meritus. quod vtrumque docebo, iudices, planum facturus eundem et locupletissimum, et nequissimum hominem esse, pessimeque de rep. de necessariis, de amicis denique, meritum. Hic Dicaeogenes cum a nobis traditam sibi accepisset in potestatem hanc hereditatem, octogenas minas annuorum vectigalium ferentem, eiusque fructus toto decennio percepisset, cum negat sibi pecuniam esse, tum tamen non habet docere, quo illam tantam, o iudices, vectigalium summam insumserit. Vos ipsi, fas enim est, existimate. In Dionysiis choregatum tribus suae fungens, quatuor habuit collegas, tragoediaeque atque pyrrhichiae palmas retulit postremas. Haec sola sunt munera, quae edidit, coactus, et tam praeclare, e re tam fructuosa, tam ampla vectigalia ferente. Sed et trierarchi tot numero cum constituantur quotannis, Dicaeogenes neque ipse trierarchatum gessit, neque alteri cuipiam gerenti de penu suo contulit ad sumtus illius muneris alleuandos, praesertim eiusmodi in reip. temporibus. sed alii quidem, quibus vel tenuior etiam res familiaris est, quam huic sunt reditus annui, tamen trierarchatus gerunt; hic autem nullum vnquam gessit, tametsi splendidas illas facultates non pater ei reliquit, (nam is quidem ei rem reliquit admodum mediocrem,) sed vos suffragio vestro contribuistis et condonastis; quapropter, etiamsi ciuis non esset, tamen eum deceret, liberalitate sumtuum in remp. faciendorum voluntatem vestram demereri. Porro tot contributiones cum factae sint a ciuibus ad bellum sustinendum, patriaeque salutem tuendam, hic vnus Dicaeogenes ne semel quidem quicquam contulit, nisi quod, cum Lechaeum caperetur, prouocatus ab aliis, pollicitus

citus est in concione, audientibus omnibus, se trecentas drachmas, minus adeo, quam Cleonymus Cretensis dedit, esse daturum. Et hoc ipsum tamen donum, quod pollicitus est, gratuitum, non praestitit, sed turpissima de causa pependit eius nomen apud Eponymos in tabula publica proscriptum, vt impostoris et vani hominis, qui, quam largitionem ad salutem patriae tuendam sponte sua pollicitus fuisset, eam re ipsa non praestitisset. Qui iam mirandum sit, me, qui vnus sim, ab hoc Dicaeogene deceptum esse, qui pari modo vos quoque, cunctos, in concionem congressos, deceperit? Etiam huius rei testes praestabo. *Testes.* In remp. ergo Dicaeogenes hoc pacto, et tam magnifice, e re tam lauta erogauit; erga necessarios autem eum se gerit, quem videtis. nam alios nostrum fortunis exuebat, copiis et gratia praepollens, alios aequo animo ferebat, ob penuriam victus quotidiani peregre proficisci, ad capessendum militiam mercenariam. Viderunt omnes matrem eius in fano Ilithyiae sedentem, cum hunc filium suum infandi sceleris in se commissi incusaret, quod scelus vel ore proferre verecundor, quamquam illum quidem tantum scelus committere nil puduit. Melane Aegyptio cum esset a puero familiariter vsus, habet nunc eundem Melanem sibi inimicissimum, ideo, quod pecuniam ab illo mutuo sumtam non reddit. Reliquorum, si qui cum eo consueuissent, alii non recuperarunt numos ipsi mutuo datos, alii decepti sunt ab eo, non praestante ea, quae se daturum promisisset, si nollent secum in hereditatis petitione contendere. Nostri autem maiores, o iudices, qui bona istaec, nunc controuersa, reliquerunt, sudore suo parta, nullis non choregatibus defuncti sunt, pecuniasque quamplurimas ad onera belli perferenda contulerunt; neque tempus vllum vacauit ipsorum trierarchatibus; quorum documenta sunt donaria ab

illis in fanis deorum, ex eo, quod ipsis de necessariis impensis redundaret, dedicata, quo monumenta suae virtutis essent; tripodes[1], alii in templo Bacchi consecrati, quos tripodas, choregi cum essent, praemia et monumenta victoriae, abstulerant; alii in templo Pythii Apollinis Delphis consecrati. Praeterea quoque in arce [Athenis] primitias fortunarum consecrarunt; fanum, quod ibi est Mineruae, simulacris aeneisque saxeisque, numero multis, vt e re familiari priuata, exornarunt. Ipsi autem pro patria dimicantes occubuerunt, Dicaeogenes quidem, Menexi, aui mei pater, Strategi cum dignitate apud Eleusinem, Menexenus autem, filius eius, phylarchi partes gerens, [h. e. magistri alae equestris] apud Spartolum[2], in terra Odrysarum. Dicaeogenes autem, huius Menexeni filius, occubuit in pugna apud Cnidum trierarchatu fungens nauis Parhali. Hanc tu domum, Dicaeogene, cum suscepisses in manus tibi traditam, optime constitutam, pessime, summo cum dedecore, pessumdedisti et lacerasti, alia eius aliis vendendo, fundosque numis commutando Et nihilominus tamen paupertatem quereris! qui? quo inpendisti illam tantam pecuniam e vectigalibus bonorum et e venditione eorum redactam? In remp. quidem, de quo certo constat, nil impendisti, neque in amicos. At ne in equis quidem alendis prodegisti rem, qui nunquam in potestate habueris equum plus tribus minis vaeientem; neque etiam in bigas mulares profudisti, quas nunquam possedisti, tam amplos fundos, et tam instructos habens. At ne ex hostibus quidem captiuum ciuem vllum redemisti. Ne ipsa quidem illa donaria in arcem intulisti dedicanda, quae Menexenus quum tribus talentis facienda locasset, vita excessit, priusquam dedicaret; sed voluntantur adhuc in officina lapicidae. Et tu quidem dignum te censuisti, possidere te bona ad te nullo iure pertinentia, diis autem obli-

uisce-

uiſceris donaria reddere, iis deſtinata et ex voto debita. Ecquid igitur eſt id, ob quod tu, Dicaeogene, poſtules, iudices te abſoluere? num, quod multa munera ciuitati ediderís? luculentoque magni aeris impendio eam ſpectabilem reddideris? an quod claſſicam militiam fungens, cum poteſtate trierarchi, clades hoſtibus acerbas intuleris? an, quod egenti patriae multas magnasque largitiones conferendo, belli onus releuaueris, et ampliſſima pepereris emolumenta? Atqui horum omnium feciſti nihil. Verumtamen miles bonus et fortis es? Atqui nunquam in caſtra iſti, toto hoc tenente bello, quod tam atrox et tam diuturnum fuit; quod bellum ipſi Olynthii et inſularum incolae nobiscum participare non recuſarunt, ſed pro nobis dimicantes mortem oppetunt. Tu vero, Dicaeogene, cum ciuis eſſes, arma pro patria gerere auſus non es. At fortaſſean ob maiores poſtulabis mihi praehaberi? quod ab iis prognatus ſis, qui tyrannos [Piſiſtratidas] ſuſtulerunt? Ego vero, cum illos laudo, tum te nego in communionem laudis illis debitae venire; qui, primum quidem, omiſſo ſtudio gloriam eorum aemulandi tuisque factis exaequandi, latro factus ſis bonorum noſtrorum, maluerisque Dicaeogenis filius appellari, quam Harmodii, et ius epulandi in Prytaneo [omnibus commune ab Harmodio oriundis, manentibus in gente ſua, neque alienas in domos per adoptationem transmigrantibus] ſpreueris, et reliqua quoque iura poſterorum Harmodii, vt praeſidatus et immunitates, contemſeris; quamquam, etiamſi in gente tua manſiſſes, non hoc melior fuiſſes futurus. Neque enim ab iis, quas tu exerces, artibus nobilitati, neque ob genus ſuum tantis honoribus affecti ſunt Harmodius atque Ariſtogiton, ſed ob fortem animum, dextrae ſtrenua facinora, morum honeſtatem, quibus decoribus tu cares, Dicaeogene.

ISAEI ORATIO QVINTA,

versans in hereditate Philoctemonis.

Familiaritatem mihi summam cum Phanostrato atque Chaerestrato hocce esse, iudices, plerosque vestrum nosse autumo. Ignorantibus autem sufficiens dicam documentum. Menestrato in Siciliam proficiscente, cum classe, in qua trierarchum agebat, ego praeuidens pericula ibi imminentia, quippe qui iam antea eadem expeditione defunctus essem, tamen rogantibus his nauigationis comes calamitatumque consors fui, vna cum illis captus ab hostibus. Quocirca futurum sit inconsentaneum, me, qui horum in gratiam illa discrimina obiissem, tam perspicua atque ineuitabilia, quod iis familiariter vterer, amicosque atque studiosos mei ducerem esse, nunc recusare pro iis causam dicere, eaque proferre, ad quae si attendatis animum, sperandum sit fore, vt et vos sententiam feratis cum religione iurisiurandi a vobis dicti consentientem, et hi iure suo potiantur. Quapropter vos rogo, vt veniam mihi dicturo detis, atque secundis auribus me audiatis verba facientem. Certamen enim illis hoc est haud leue, sed summa eorum res agitur. Philoctemon enim, Cephisiensis, hoc Chaerestrato familiariter vtens, bona ei sua legabat omnia, eundemque pro filio adoptabat, eoque facto diem supremum obibat. Chaerestrato itaque hereditatem ex formula iuris petente, quoniam Athenienſium cuique licet de vacuefacta quacunque hereditate certare, qui quidem, non per ambages exceptionum, sed directa iuris via incedat, [h. e. propterea hereditatem sibi petat adiudicari, quoniam alii nemini maiori et euidentiori iure competat, quam sibi,] quo facto si petens visus fuerit iure omnium certissimo atque praepollentissimo niti, hereditas ei habenda atque tenenda adiudicatur;

inter

interceſſit Androcles hic, atque teſtimonium interpoſuit, quo hereditatem hanc controuerſiae obnoxiam eſſe negabat. Quo effecit, vt et hic Chaereſtratus petitione hereditatis excluderetur, et vobis eriperetur ius atque facultas heredem Philoctemonis ex ſententia veſtra conſtituendi. Sperat nempe ſe effecturum vnius iudicii ſuffragiis, vniusque certaminis nequitia, vt Philoctemoni fratres adiungantur et obtrudantur, homines ab eo prorſus alieniſſimi, et vt ipſe hereditatem contra ius et fas habeat teneatque, tametſi de ea cum nemine in iure contendiſſet, neque adiudicatam ſibi abſtuliſſet: item, vt Philoctemonis ſorore potiatur, denique vt Philoctemonis teſtamentum irritum reddat. Multa vero cum ſint, et nefanda omnia, quae Androcles in obnuntiatione ſua pro teſtimonio confirmauit, primum hoc demonſtratum dabo, Philoctemonem vtique teſtamentum ſcripſiſſe, in eoque Chaereſtratum hunc ſibi pro filio adoptaſſe. Philoctemoni nempe neque vxor pariebat, et bellum tum ſaeuiens perpetua capitis pericula obiiciebat, alias equeſtri, alias nauali militia fungenti. Trierarchatum enim ſaepenumero geſſit. Quibus de cauſis viſum ei fuit, de bonis ſuis per teſtamentum praecipere, ne, humani quid paſſus, deſertam domum relinqueret. Fuerat ei quidem par fratrum, nec non par ſororum. Verum fratres ambo ante eum ſine prole deceſſerant. Sororum autem altera, Chaereae nupta, prole maſcula carebat, tametſi diu penes Chaeream fuiſſet. Altera Phanoſtrato duo mares peperit. Horum natu maiorem, Chaereſtratum hunc, Philoctemon ſibi filium adoptauit, et in teſtamento hanc ſcripſit clauſulam, niſi vxor ſua ſibi filium adhuc pareret, velle ſe, vt hic Chaereſtratus ſibi heres eſſet. Teſtamentum hoc penes Chaeream, alterius ſororis maritum, depoſuit; quod teſtamentum cum vobis recitatum fuerit, tum teſtes, qui ſcribendo

interfuere, teſtabuntur. *Teſtamentum.* Audiſtis ergo, iudices, Philoctemonem de bonis ſuis per teſtamentum conſtituiſſe, et quibus conditionibus Chaereſtratum ſibi filium adoptarit. Philoctemoni autem ſic agere licuiſſe docebit haec lex, quam ego affero, et hic vobis audientibus recitabit. Aequa enim et iuſta haec eſſe, ex ipſa lege facillime intelligi arbitror. *Lex.* Haec lex communis omnibus fixa eſt, iudices, praecipiens, nemini non licere, de bonis ſuis conſtituere, prole maſcula carenti, niſi ſi forte furioſus ſit, aut prae ſenio deliret, aut per aliam quampiam cauſam, hac in lege indicatam, mentis parum ſit compos. Quorum omnium vitiorum nulli Philoctemonem fuiſſe obnoxium, id vero paucis verbis demonſtratum dare potero. Ciuem enim qui ſe, et, quoad vixit, geſſerit eum, vt penes vos in honore atque dignitate eſſet, ideoque dignus a vobis habitus fuerit, cui honores mandaretis, et qui pugnans pro patria occubuerit, ecquis ei negabit mentem conſtitiſſe? Mentis ergo qui compos eſſet, ei licuiſſe teſtamentum ſcribere, in eoque filium, quem vellet, adoptare, planum vobis factum eſt. Vnde conſtat, hactenus certe Andoclem in iſta obnuntiatione falſa teſtatum eſſe. Verum hoc quoque falſi arguam, quod addit idem, Euctemonis genuinum eſſe filium hunc, [qui ſibi nomen idem arrogat.] Euctemoni enim, patri Philoctemonis, praeter Philoctemonem et Ergamenem, et Hegemonem, duasque filias, legitima ex vxore ſuſceptos, filia Mixiadis Cephiſienſis, alios nullos fuiſſe liberos, norunt cognati omnes, omnesque phratores, et demotarum plerique, iidemque vobis id teſtimoniis ſuis confirmabunt. Aliam autem illi fuiſſe vxorem, vnde hosce, [quos Androcles ſubiectum it,] ſuſceperit, nemo eſt, qui aut norit, aut fando vnquam inaudierit Euctemone adhuc ſuperſtite. Atqui teſtes hi ſunt, quos conſentaneum ſit

omni-

omnium esse fidissimos. Cognatos enim huiusmodi res omnium optime atque certissime tenere par est. Hos tu mihi primo loco cita, et horum testimonia recita. *Testes.* Verum ipsos quoque vobis praestabo aduersarios haec eadem testimonio suo comprobantes. Nam in examine ambarum partium coram Archonte habito, cum hi sacramentum deposuissent super his, tanquam genuinis Euctemonis filiis, [qui sunt subditicii,] et nos interrogassemus eos, quaenam esset horum mater, et cuius filia, docere non poterant, tametsi et contestatione nostra vrgerentur, et Archon ipsis iterum iterumque iniungeret, ad interrogata vt responderent, prout lex fieri iuberet. Atqui, quomodo, iudices, legi haud repugnet, si, qui pro aliis, veluti pro liberis genuinis, in iure contendat, et interponenda obnuntiatione de horum liberorum iure propiore, alios, legitimi qui sint heredes, a petenda hereditate exclusum eat, is idem tamen, neque, quae his insiticiis mater fuerit, docere habeat, neque vllum cum ea cognatum edere. Sed tum temporis quidem praetexebant, horum liberorum matrem mulierem nescio quam Lemniam esse, eoque facto cursui processus forensis remoram aliquam iniiciebant. Postmodum autem ad examen [vel confrontationem partium ambarum litigantium] cum conueniissent, vel prius etiam, quam ab homine quoquam interrogarentur, statim aiebant, Callippen eorum matrem esse, Pistoxeni filiam; id solum existimantes sufficere, nomen vnum aliquod a se confictum edi, nescio cuius, Pistoxeni. Qui cuias fuisset, quaerentibus nobis, et num in viuis adhuc supereesset, in Sicilia eum aiebant occubuisse in castris, relicta hac vnica filia apud Euctemonem, eius tutorem, et ex ea illi hosce duos pueros natos fuisse. Facinus omnium longe impudentissimum. Merum enim hoc esse mendacium, planum faciemus, primum ex

ipsis

ipsis horum responsionibus in illo scrutinio editis. Nam ex illa inde militia, cuius causa Pistoxenus fertur in Siciliam cum classe abisse, hoc est, ab Arimnesto Archonte inde, ad hoc diei duo et quinquaginta anni effluxere. Neque natu maximus horum iuuenum, quos ab Euctemone ex illa Callippe procreatos perhibent, aetatis annum vigesimum adhucdum excessit. Detractis igitur his viginti annis ab illius Siculae expeditionis tempestate, et ab anno illo, quo Arimnestus Archon fuit, remanent plusquam triginta anni. Atqui Callippen, aetatis annum trigesimum dudum egressam, adhuc penes Euctemonem, in eius tutela fuisse, pupillam, nondum elocatam, nondumque matrem legitime factam, credibile non est, sed credibile potius hoc est, eam in manu tutelaque mariti iam dudum ante fuisse, cuicunque fuerit, siue a necessariorum quopiam, siue ab ipso tutore, in manus data, atque matrimonio collocata, siue denique a iudicibus, velut heres a patre relicta, nescio cui adiudicata. Praeterea Callippen hanc necesse est, vt Euctemonis necessarii famulique norint, si ea quidem in tutela domoque Euctemonis versata, et tam diu quidem, triginta per annos, aut vnquam materfamilias ei fuerit. Non enim sufficit eiusmodi nomina solummodo in confrontationibus iactari, sed etiam rebus ipsis eorum veritas patefacienda est, hoc est, testimoniis necessariorum. Decebat itaque nobis demonstrari, et flagitantibus quidem, vel vnum aliquem ex Euctemonis necessariis, qui Callippen quandam, siue pro vxore legitima, siue pro pupilla, saltim in domo Euctemonis versatam nosset; decebat operam dari, vt hae res coarguerentur, siue e famulis Euctemonis, si qui adhuc eorum in viuis supersent; siue e famulis iis, qui penes ipsos [Androclem, eiusque consortes] essent. si quis eorum est, qui se aiat ista nosse. Verum eiusmodi seruos e familia

Eucte-

Euctemonis reliquos tradentibus nobis ad quaesitionem per tormenta accipere, neque suos poscentibus praestare et coram adducere voluerunt. Cape tu has istorum responsiones, in scrutinio illo ab istis editas, nostrasque obtestationes et prouocationes ad traditionem mancipiorum. *Responsiones. Obtestationes. Prouocationes.* Tantam ergo rem, tam grauis vtramuis in partem ponderis, hi quidem defugerunt, ego vero demonstrabo vobis, et vnde hi sint, [pueri,] et quinam isti, qui interponenda obnunciatione testati sunt, eos genuinos Euctemonis liberos esse; quo studeant eos in Euctemonis hereditatem immittere. Phanostrato quidem igitur nescio an insuaue sit, Euctemonis vlcera denudari. Fieri tamen nequit, quo minus vel pars aliqua modica malorum, in quae Euctemon incurrit, aperiatur, quo vos rei gestae certiores facti, hoc facilius sententiam aequo iuri consentientem feratis. Exegit viuendo annos 96. Huius tamlonginqui temporis per partem potissimam visus fuit beatus esse. Nam et fortunae erant haud contemnendae, et vxor, florentesque liberi, et res reliquae pariter sic satis secundae. Verum prouecto iam ad aetatem affectam infortunium haud mediocre obtigit; quod vniuersam illius domum corrupit, opumque magnam vim pessumdedit, ipsumque in apertum cum necessariis discidium coniecit. Quae vnde nata, et qui, sint, paucissimis declarabo. Erat Euctemoni, iudices, liberta, quae domum aliquam gubernabat, quae domus Euctemoni in Piraeeo erat elocaticia. Haec mulier puellas meretrices alebat, et in his vnam, Alcen dictam; quam Alcen vestrum quoque complures, ni fallor, norunt. Haec Alce, vt primum de foro emta fuit, multos per annos prostitit corpore quaestum faciens; tandem vero, marcescentibus annis, e lupanari excessit. Mulieri igitur isti illa in domo elocaticia versanti consuescebat Dio quidam,

homo libertus; e quo ista Alce se aiebat hosce liberos peperisse, [quos Androcles nunc Euctemoni subdere conatur.] Et Dio quoque pro suis eos alebat. Tempore autem post idem Dio, ob noxiam nescio quam datam male sibi metuens, Athenis Sicyonem fecessit. Quo facto Euctemon Alcen illam gubernatricem illius domus constituit, quae ei in Ceramico erat elocaticia, vbi vinum vaenit. Illam igitur in domum immissa haec mulier, iudices, multorum magnorumque malorum causam et principium dedit. Euctemon enim saepius illuc itans, sub praetextu locaris tollendi, plurimum temporis in illa domo elocaticia versabatur. Saepe quoque illa cum muliere cibum capiebat, relictis vxore liberisque, domoque, in qua ipse habitabat. Quod aegre ferentibus vxore liberisque, tantum abest, vt Euctemon a congressibus cum illa muliere se abstineret, vt potius ad extremum domicilium quasi ad eam transferret, aetatemque deinceps omnem penes eam degeret, et, siue herbis, siue furore, siue alio nescio quo aduerso casu, dementabatur ita, vt, rogatu mulieris, alterum liberorum eius in phratoras suos induceret, addens ei suum nomen. Quoniam autem ne sic quidem Philoctemon ei concedebat, neque phratores admittebant, sed sacrificium ab Euctemone pro impetranda pueri receptione oblatum repudiabant, ira aduersus filium Philoctemonem incensus, eique aegre facere ardens, desponderi sibi curabat Democratis Aphidnaei sororem, hoc agitans, vt liberos ab illa muliere edendos pro suis tolleret, et in bona sua immitteret, si Philoctemon concedere nollet, vt commenticium hunc Euctemonem iuniorem in phratoras induceret. Necessarii itaque, bene gnari, cum ab ipso Euctemone, illuc aetatis prouecto, proles nulla esset exspectanda, tum tamen verendum esse, ne nihilominus alio quopiam modo liberi prodirent, quos vt ille pro suis haberet

haberet atque iactaret, posset induci, ex eaque re multo maius exsiturum esse dissidium, persuadebant, o iudices, Philoctemoni, vt sineret a patre suo iuniorem hunc Euctemonem in phratoras induci, conditionibus iis, quae Euctemoni placerent, hoc est, cum addito agello. Philoctemon itaque, tametsi eum patris puderet pigeretque stultitiae, nullam tamen cernens rationem ex hac difficultate sese expediendi, in auctoritate fuit necessariorum, cedensque necessitati, nil repugnauit. Pactis igitur vtrinque conuentis, pueroque in phratoras inducto, ab vxoris ducendae consilio iam destitit Euctemon; quo facto planum faciebat, de vxore ducenda non eo se cogitare coepisse, quo liberos ex ea quaereret, sed quo ab inuito filio concessionem extorqueret hunc puerum in phratoras inducendi; sed idem simul hoc quoque prodebat, hos pueros e matre non ingenua natos fuisse. Ecquid enim oportebat eum vxorem ducere, si hi pueri ex se, ciue attico, et e muliere, quae pariter ciuis attica esset, nati erant? ecquis enim impedire potuisset, quo minus eos, si vere ingenui fuissent, in phratoras induceret? aut cur sub certis condictis et stipulatis conditionibus hunc Euctemonem iuniorem pro filio in phratoras induxisset, si mater eius ingenua et ciuis fuisset? lege edicente, vt liberi omnes rite nati pari et aequali iure in herciscundo patrimonio gaudeant. aut cur seniorem quidem horum duum puerorum sub pacto certarum conditionum in phratoras induxisset, minoris autem nullam prorsus habuisset rationem, nullamque fecisset eius mentionem, donec Philoctemon superfuit, neque ad ipsum Philoctemonem, neque ad reliquos necessarios? cum tu tamen, Androcle, hos ambos Euctemonis liberos perhibueris esse, disertis verbis in testimonio aiens, hos genuinos Euctemonis liberos atque heredes esse? Vera haec a me dici, quo constet, recita tu haec testimonia. *Te-*

Teſtimonia. Secundum haec geſta, Philoctemon, trierarchatu fungens, in pugna nauali apud Cnidum cecidit ab hoſtibus interemtus. Aliquanto poſt Euctemon ad iudices profeſſus eſt, ſe velle pacta, in quae ſibi cum filio conueniſſet, tabularum monumentis conſignata deponere; et alter quidem generorum, qui ei duo erant, Phanoſtratus, in procinctu ſtabat, ea cum claſſe, cui Timotheus imperator praeerat, e portu ſoluendi; et iam nauis, quam Phanoſtratus cum imperio trierarchi tuebatur, ad ancoram ſtabat, ad Munychiam; alter autem Euctemonis gener, Chaereas, congenerum, Phanoſtratum, ad portum deduxerat, iter maritimum ingreſſurum honoris cauſa proſecutus. Illuc ergo, vbi nauis ſtabat, Euctemon veniebat, ſecum habens amicos quosdam adſcitos, et cum teſtamenti tabulis conſignaſſet, quibus conditionibus puerum [Euctemonem iuniorem] in phratoras induxiſſet, vna cum his [Phanoſtrato et Chaerea] deponit [illas tabulas] apud Pythodorum Cephiſienſem, agnatum ſuum. Haec, quae egit Euctemon, eum non egiſſe tanquam pro filiis genuinis, et Androcles ipſe teſtatus eſt, iudices, et ipſa rei loquitur inſolentia. Nemo enim liberis genuinis quicquam per teſtamentum legat, quia ius ciuile filio patris bona delegat, patremque, cui liberi genuini ſint, non ſinit per teſtamentum conſtituere. Tabulae illae cum per biennium fere iacuiſſent, et interim Chaereas vita exceſſiſſet, homines hi [Audrocles, eiusque conſortes] foeminae [Alcae] per foediſſimam adulationem tanquam mancipia reginae ſeruientes, et ex eius ore nutuque pendentes, cum cernerent ſubſtantiam Euctemonis iam peſſum euntem, et in ſenio atque vecordia delirantis egregiam ſibi datam oportunitatem furandi, vna cum foemina, fortunisque et ruenti iam ſenis menti parant inſidias; et primum quidem eum impellunt, ut teſtamentum tol-

leret,

leret, atque pro irrito declararet; quippe quod e re puerorum haud esset; quoniam ipso, Euctemone, defuncto, bonorum immobilium nemo alius sit potiturus, quam filiae ipsius, earumque liberi; fundorum autem si quid ipse adhuc superstes venderet, redactam ex illa venditione paratam pecuniam sine controuersia certam pueris esse mansuram. Euctemon hac oratione motus, statim vt audiuit, tabulas testamenti a Pythodoro repopoſcit, prouocans, vt tabulas eius in medium proferret. Stante itaque Pythodoro coram Archonte, aiebat Euctemon velle testamentum a se scriptum tollere. Contra Pythodorus, negans per se stare quominus tollatur, ipsum semet aiebat id tollere, quod ad ipsum attineret Euctemonem, atque Phanostratum, tum in iudicio quoque praesentem. Verum quoniam Chaereas, qui depositioni testamenti penes se interfuisset, interea temporis viuis excessisset, relicta filia. cuius filiae sine consensu negabat hac in re quicquam agi posse, tum demum aiebat se testamentum illud cassaturum, cum illa Chaereae filia, nuptum elocata, in potestatem mariti transisset, qui tutor et curator eius esset. Archon quoque cum ad hanc Pythodori sententiam accessisset, et ita agendum pronuntiasset esse, Euctemon coram Archonte eiusque assessoribus, aliisque permultis, quos circumstantes antestabatur, primum a Pythodoro eiusque consortibus sponsionem exigebat, eos, quae acturus nunc esset, rata habituros esse; tum conceptis verbis asseuerabat, testamentum sibi iam nunc nullum amplius vsquam locorum depositum iacere. eoque dicto abibat, paulo post id facturus, cuius causa illi [Alce, cum parasitis] eum ad testamenti abrogationem impulerant. Vendebant nempe fundum Athmonensem Antiphani, quinque et septuaginta minis, balneum vero in Serangio triginta minis Antilocho; domum vero in Vrbe,

pro quatuor et quadraginta minis oppigneratam, vendidit hierophantae, praetereaque gregem caprarum ipso cum caprimulgo, tredecim minis, et duas bigas mulares, alteras octo, alteras quinque minis et semisse. opifices item, quotquot illi erant, omnes. Vnde summam aeris redigebant plusquam tria talenta. Vendita ista sunt perquam cito post obitum Philoctemonis. Quo autem vobis constet, iudices, horum, quae dixi, singula quaeque vere a me dicta esse, primum cito testes. *Testes.* Sic ista quidem illi habebant, tenebant. Vt autem reliquis quoque potirentur, statim incipiebant machinari, et rem inter se comparabant omnium foediſſimam, cui vos par est animum attendere. Cernentes enim Euctemonem prae senio ita prorsus eneruatum et exinanitum, vt ne lecto quidem resurre posset, meditabantur et circumspiciebant omnes modos, quibus hoc efficeretur, vt facultates eius, vbi animam reddidisset, in potestate sua essent vniuersae. Quid ergo instituunt? Deferunt horum duum puerorum nomina ad Archontem, velut adoptatorum, quorum alterum [natu maiorem] alter Euctemonis filius [Philoctemon] iam defunctus, alterum [minorem] alter eiusdem filius [Ergamenes] item defunctus adoptassent; et, quia semet ipsi tutores puerorum ferebant, Archonti mandabant, vt substantiam puerorum, velut orborum, elocaret, [h. e. proscriberet elocabiles] quo sub puerorum nomine bonorum alia mercedem meritura elocarentur, alia tanquam debita pueris pro commodata pecunia, aestimarentur atque ipsis assignarentur pro hypotheca, palique figerentur, quibus designantur et circumsepiuntur bona in hypothecam data, quae vendere non licet; et Euctomene adhuc superstite, conductores per eum facti, vectigalia bonorum ipsi perciperent. Et quam primum tribunalia complebantur, archon quidem bona Euctemonis, vt elocabilia voce praeconis promulgabat, hi vero conductores pro

merce-

mercede annua ipsi se profitebantur. Verum eueniebat fortuito, vt aliqui, qui licitationi huic interessent, ad necessarios Euctemonis hac de fraude ipsis parata renunciarent. Hi ergo cito accurrentes, indicabant iudicibus totum negotium; quo facto iudices elocationem bonorum reprehendebant. Quod si occultum necessariis mansisset, tota illis substantia funditus perisset. Cita testes, qui rei gestae, de qua modo exposui, interfuerunt. *Testes.* Priusquam porro hi homines [Androcles, cum consortibus] notitiam cum hac muliere [Alce] contraxissent, cu eaque colludentes coepissent bonis Euctemonis insidiari, tam locuples erat Euctemon vna cum Philoctemone, vt, quamuis ambo vna, iisdem temporibus, muniis fungerentur sumtuosissimis pro rep. vestra, tamen neque de sorte quicquam alienarent, et de vectigalibus annuis semper haud parum quid supereresset, vnde emti noui fundi ad veteres accederent. Ex quo autem Philoctemon excessit, ita misere dilaniata est illa substantia, vt sortis antiquae ne dimidia quidem pars superfit, vectigalia autem omnia intercepta sint. Et ne haec quidem satis habuere differre atque dissipare, sed etiam ipso Euctemone tandem vita defuncto, audaciae processerunt eo, vt illo intus in aedibus adhuc iacente, seruos custodirent, quo ne quis eorum quicquam siue duabus eius filiabus, siue vxori nunciaret, siue necessariorum cuiquam; pecunias autem et vasa, suppellectilemque Euctemonis, adiuuante muliere, in domum proximam, cui cum domo Euctemonis paries idem communis est, exportabant, quam domum incolebat quidam horum, mercede conductam, Antidorus ille; et ne cum filiae quidem venirent, vxorque, ab aliis de excessu Euctemonis certiores factae, sinebant eas intrare, sed claudebant fores, praetexentes, curam funeris illis haud conuenire. Vix tandem aperiebant, et mulieres illas

admittebant circa solis occasum demum. Ibi ingressae deprehendebant Euctemonem quidem intus iacentem iam in alterum diem, id quod famuli affirmabant, domum autem instrumento et rebus prorsus omnibus vacuefactam horum opera. Iam mulieres quidem in lauando et componendo cadauere, vt per erat, versabantur, hi autem [necessarii Euctemonis] amicorum et testium turbae, quae eos comitata erat, oecos demonstrabant, quam essent exinaniti et expilati, seruosque coram his [Androcle et consortibus] interrogabant, quonam supellex et reliquae opes auersae essent, iisque respondentibus, hos eas in proximam domum exportasse, hi quidem [Chaerestratus, cum sociis] auctores fiebant, vt furtum protinus quaereretur, prout ius ciuile testatum eius rei facit, poscebantque seruos sibi dedi eos, qui exportassent. Isti vero [Androcles cum consortibus] recusabant aequorum iustorumque quicquam facere. Quae vt constet vera a me dici, cape tu scriba istoc et recita. *Testimonium.* [vel index supellectilis rerumque aliarum ex Euctemonis domo furtim exportatarum.] Tantam itaque supellectilem cum domo furtim exportassent, et pecunias tenerent e venditione fundorum redactas, vectigaliaque interuertissent atque inter se diribuissent, quae per illud tempus depensa sunt, sperant se reliquis quoque potituros, eoque procedunt impudentiae, vt directum quidem ius praeferentes, et recta hereditatem petentes haud auderent in forum ingredi, at obliqua tamen via, per obtestationem, quasi liberi genuini adessent: qua in re testati sunt, cum per se falsa, tum illis ipsis, quae egerunt ipsi, aduersantia. Nam cum antea scribi horum puerorum nomina in tabulis apud Archontem curassent, alterius ceu filii Philoctemonis, alterius ceu filii Ergamenis, nunc in obtestatione sua affirmant, hos eosdem filios Euctemonis esse, quamquam, ne si ab

ipso

ipso quidem Euctemone procreati essent, huius filii atque heredes esse possent, posteaquam semel ab eo alienam in potestatem emancipati et ab aliis adoptati fuissent; id quod hi factum aiunt esse. Ius enim ciuile non sinit quemquam adoptatum e domo, in quam adoptatus fuisset, illam in domum, vnde primitus ortus et emancipatus sit, redire, nisi ea in domo, in quam elocatus esset, filium ex se legitime natum reliquisset. Ex quo consequitur, per ea ipsa, quae egerunt, falsitatis coargui obtestationem ab illis interpositam. Et istud quidem si callidis suis artibus perfeciissent, vt domus [h. e. substantia Euctemonis et Philoctemonis] elocaretur, praeclusa iam esset hisce [Chaerestrato et consortibus eius] hereditatem petendi via. Nunc autem, quamquam iudices causam eorum damnarunt, atque negarunt iuris quicquam illis in hereditatem competere, tamen non ausi modo sunt eam petere, sed etiam, pro incredibili sua modumque excedente audacia, praeter alia falsa a se prodita, etiam hoc testati sunt, hos pueros Euctemonis heredes esse, quos iudices reprobassent, atque ista hereditate arcuissent. Sed et adhuc testis ipsius [Androclis] spectate audaciam atque impudentiam, qui pro se quidem in iure petiit filiam Euctemonis, vt a iudicibus sibi adiudicandam, quippe bonorum patris heredem, cum eaque quintam bonorum partem petiit, vt controuersiae patentem; et hic tamen idem testatus est Euctemoni genuinos superesse filios. Atqui quomodo negetur, hunc [Androclem] sua semet sica perspicue iugulare, dictumque ab ipso testimonium mendacii coarguere? Nam si filius Euctemoni genuinus fuit, fuit eiusdem Euctemonis filia hereditatis adeundae iure omni cassa, ipsaque hereditas controuersiae non fuit obnoxia. Androclem autem hasce sortitiones sortitum esse [h. e. ex ambobus titulis hereditatem petiisse,

tam pro ſemet ipſo, quam pro pupillis ſuis] vt vobis conſtet, iudices, ſcriba hic vobis haec recitabit teſtimonia. *Teſtimonia.* Euenit itaque contra, atque in lege ſcriptum eſt, ſic edicente: neque ſpurio, neque ſpuriae conſanguinitatem eſſe, neque ſacris in rebus, neque in ciuilibus, inde ab Euclide Archonte Androclides autem atque Antidorus aequum exiſtimant, quas in confeſſo eſt genuinas Euctemonis filias eſſe, eas earumque ſobolem a ſe bonis Euctemonis atque Philoctemonis ſpoliari, et quae mulier iniecto Euctemonis menti furore conſecuta hoc eſt, vt magna parte facultatum eius potiretur, ea ſe tam gerit inſolenter, his nempe [Androcle atque Antidoro] fidens, vt non Euctemonis modo neceſſarios, ſed vniuerſam adeo ciuitatem vilipendat. Cuius rei vel vnum ſolum teſtimonium vbi audieritis, facili negotio mulieris illius audaciam leges aſpernantem et violantem cognoſcetis. Cape tu mihi hanc legem. *Lex.* Literas haſce [h. e. ſanctiones literarum monumentis conſignatas de obſeruandis religionibus ſacrorum Theſmophoriorum et Eleuſiniorum] voluiſtis vos, iudices, tam eſſe venerabiles, tantaque poenarum ſeueritate pietatem erga deos tuendam ſanxiſtis; ſummi quippe facientes, vt erga reliquorum deorum, ita erga harum quoque duarum dearum [Cereris et Proſerpinae] numina reuerentiam exerceri. Haec autem mulier, mater horum puerorum, cum ſit omnium hominum confeſſione ancilla, vitaeque genus per omnem aetatem ſecuta tam infame, vt ob hanc et conditionis humilitatem et quaeſtus turpitudinem ei haud liceat intra templum [Eleuſinium] intrare, neque eorum, quae in eo geruntur, quicquam videre, cum duabus hiſce deabus ſacrum fit, auſa tamen eſt in proceſſione reliquarum matronarum ipſa quoque vna incedere, et in templum ingredi, et ea ſpectare, quae ab ea ſpectari nefas eſt. Quae a me

vera

vera dici, cognoſcetis e pſephiſmatibus a ſenatu ſuper hac muliere latis. Cape tu pſephiſma hoc. *Pſephiſma.* Exiſtimare iam nunc vos decet, iudices, vtrum Philoctemonis bonorum heredem oporteat hunc eſſe, ex hac muliere [ancilla eadem atque ſcorto] natum, et hunc ad monumenta [Philoctemonis atque maiorum eius] accedere, quo inferias et ſuffitus eorum Manibus inferat [tanquam maiorum ſuorum, qui non ſunt, et quem propterea Manes defuncti velut hominem a ſe alienum et ſpurcum auerſantur atque refugiunt] an hunc [Chaereſtratum] e Philoctemonis ſorore natum, quem ipſe Philoctemon ſibi filium adoptauit. Porro quoqua vos decet apud vosmet arbitrari, vtrum deceat magis, ſororem Philoctemonis illam, quae olim penes Chaeream in matrimonio vixit, nunc autem vidua eſt, in horum [Alces et Androclis et Antidori et conſortium] poteſtate eſſe, vt penes eos ſit ſiue cuicunque velint eam elocare, ſiue pati aetatem ad extremum vsque ſenium in viduitate extrahere; an eandem Euctemonis genuinam filiam illi viro nubere, qui eam in iure petitam vi veſtrae ſententiae adiudicatam impetrarit, poſteaquam planum vobis fecerit, eam ſibi vxorem in iure omnium maxime competere. His enim de rebus hodie agitur, et vobis ferenda eſt ſententia. Hoc enim illis ſua vult obteſtatio, [ſeu propterea teſtimonium ſuum de hereditate controuerſiae et adiudicationi haud obnoxia interpoſuerunt] vt nempe hi quidem [Chaereſtratus cum reliquis Philoctemonis neceſſariis] haec adirent diſcrimina [excidendi hereditate puta legitime illis obtingente, et veniendi in poteſtatem ſpuriorum ex ancilla et ſcorto vulgari natorum] iſti autem [ſpurii, cum aſſeclis] etiamſi nunc hoc certamine ceciderint, rurſus tamen in iure experiri poſſint opponenda ἀντιγραφῇ. Nam ſi ſemel a vobis declarata fuerit hereditas vacuefacta et controuerſiae

uersiae obnoxia, petenti [seu Chaerestrato, seu cuicunque alii] eam, opponent illi suam contrapetitionem, et sic eadem de causa bis iidem in iudicio contendent. Atqui, si Philoctemoni quidem haud licuisset, suis de bonis per testamentum constituere, et is tamen nihilominus fecisset, recte tum intercessisset Androcles interponenda sua obtestatione, penes Philoctemonem haud fuisse, vt hunc [Chaerestratum] in testamento pro filio adoptaret. Sin autem Philoctemoni licuit testamentum scribere, neque infitiatur hoc Androcles, sed istud, a Philoctemone scriptum esse testamentum, in eoque hunc Chaerestratum pro filio adoptatum; debebat nos non ab aditu ad hereditatem excludere, interponenda obtestatione, sed directa litis denuntiatione praemissa, iure nobiscum contendere. Iam vero qui quaeso luculentius arguatur falsum dixisse testimonium, quam si quis eum sic interroget: Tu vero, Androcle, ecqui nosti, Philoctemonem neque testamentum scripsisse, neque hunc Chaerestratum sibi pro filio adoptasse? Quibus enim aliquis, dum gererentur, interfuerit, de iis fas est eum testimonium dicere; quibus autem ipse non interfuerit, de iis testantem eum fas est, non oculos suos, sed aures famamque testari. Tu vero, Androcle, cum scriptioni testamenti non adfuisses, difertis tamen verbis pro testimonio negasti scriptum a Philoctemone testamentum esse, contra vero affirmasti eum improlem decessisse. Atqui, o viri, qui poterat Androcles hoc nosse? Perinde enim inconsentaneum est, de Philoctemone incomperta neque certo explorata affirmare, atque iis de rebus, quas vos in secreto agitis. Quamquam enim impudentia ei summa est, non audebit tamen affirmare, se Philoctemoni per totam ab eo actam aetatem comitem adhaesisse indiuiduum, actibusque eius omnibus testem interfuisse. Hominum enim, quotquot

sunt,

sunt, omnium hunc vnum Androclem Philoctemon semper habuit inimicissimum, cum propter reliquam hominis improbitatem, tum propterea, quod hic Androcles solus ex vniuersis Philoctemonis necessariis, flagitiosa cum Alce communicauit consilia, quibus et ipsi [Philoctemoni, vel potius Chaerestrato] et reliquis Euctemonis liberis atque totis facultatibus insidiarentur, eaque perpetrauit, quae modo vobis demonstraui. Quod autem vel maxime indignationem cieat, hoc est, quod Euctemonis, qui huius [Chaerestrati] auus est, nomine abutantur. Fac enim verum id esse, quod hi aiunt, Philoctemoni haud licuisse, per testamentum constituere de bonis, quae vniuersa fuerint Euctemonis, vtrum aequius est, hereditatem patris adipisci filias, quas ei genuinas esse extra controuersiam est, et nos ex illis natos, an hos, quibus cum Euctemone necessitudinis prorsus nihil intercedit? id quod non nos solummodo liquidis approbauimus argumentis, sed ipsi quoque horum tutores suis factis. Hoc enim vos, o iudices, etiam atque etiam rogo atque obtestor, vt inprimis meminisse velitis, quod iam paulo ante vobis declaratum atque testatum feci. Androcles enim hic, qui se horum puerorum tutorem fert, quasi Euctemonis genuinorum, [qui non sunt, atqui ingenui qui non sint, his tutor esse nullus potest;] idem tamen pro semet ipso Euctemonis hereditatem petiit; id quod testes a me producti confirmarunt. Atqui, per deos superos, qui quaeso fiat, vt minus atrox minusque intolerabile sit, genuini quidem si sint liberi, tum tutorem eorum hereditatem ipsimet sibi petere, vnaque filiam Euctemonis in matrimonium, tanquam heredem legitimam, super qua in iure contendere liceat; sin autem pro spuriis habeantur, legitimis heredibus aditum ad hereditatem praecluſum ire interponenda obtestatione, adesse liberos a defuncto relictos,

iure

iure adeundae hereditatis multo propiore gaudentes? Aduerſa fronte iſtaec inter ſe pugnant. Perſpicuum ergo eſt, non a nobis ſolummodo falſitatem obteſtationis ab eo interpoſitae coargutam eſſe, ſed etiam factis ipſius Androclis coargui. Et hunc quidem [Chaereſtratum] nemo interponenda obteſtatione de hereditate non vacuefacta adiuuat, ſed ipſe [Chaereſtratus] directa et ſimplice via iuris ſibi competentis, hereditatem petit: hic autem [Androcles] omnes petitione hereditatis excludit eo, quod diſertis verbis affirmat, hos e ſcorto natos genuinos Fuctemonis liberos eſſe; quo facto ſperat vos ita placatum atque circumventum iri, vt ſibi demonſtrationis veniam de cauſa controuerſa faciatis, copioſaque de rebus a cauſa alieniſſimis diſputatione vos obrui patiamini. quae rei ſunt caput, et de quibus doceri vos oportebat, ea ne attingat quidem, aut leuiter modo perſtringat, contra vero in nos ſonora voce turpiſſima conuicia intorqueat; et hos quidem [Chaereſtratum, eiusque cognatos] opulentos, ſe autem pauperem eſſe iterum iterumque obiectet. Quibus artibus hoc ſe ſperat conſecuturum, vt hi pueri, [qui ſpurii ſunt] vobis genuini eſſe videantur. Fac tamen hos, quibus affluentes rerum copias Androcles inuidioſe exprobrat, locupletes eſſe. quid tum? Locupletes ſi ſunt, vobis ſunt, iudices. plus enim de copiis ſuis in rempublicam veſtram, quam in ſemet, impendunt. Phanoſtratus quidem iam ſepties trierarchatu functus eſt, et munia quaecunque pro republica obeunda ſunt ſumtuoſa, ea omnia obiit, et in plerisque victorias adeptus eſt. hic autem Chaereſtratus, quamuis adhuc puerulus, tamen iam trierarchatus muniis ſatisfecit, contribuendo de ſuo; item choregum pro tragoedis, nec non gymnaſiarchum in lampadophoriis; nullas non contributiones pecuniarias hi ambo [pater et filius] inter tercentumuiros [h. e. inter ciuium

uium omnium opulentiſſimos] contulerunt. Et hactenus quidem hi duo [Phanoſtratus, et eius filius natu maior, Chaereſtratus] haec in rempublicam contulerunt; nunc autem natu minor quoque choregum agit tragoedis, et inſcriptus eſt albo tercentum virorum, et confert ſtatas contributiones. Quapropter non hi digni ſunt, quibus inuideatis, ſed iſti, ita me Iupiter atque Apollo ament, ſint magis, ſi bona adipiſcantur, quorum ipſis ius nullum eſt. Philoctemonis quidem hereditatem ſi huic [Chaereſtrato] petenti adiudicabitis, ille vobis eius erit promus condus, eo quod, vt adhuc fecit, ita porro quoque ex illa ſumtus faciet in munera edenda, et multo etiam magis. Sin autem hi eam adipiſcantur, primum dilapidabunt et concerpent, tum, exhauſtis illis, aliorum bonis inſidiabuntur. Quare vos, ne decipiamini, iudices, maiorem in modum rogo, vt ad [Androclis] obteſtationem animum aduertatis, de qua pronuntiandum vobis eſt, eique intentum atque affixum iubete illum cauſam pro ſe dicere, quemadmodum nos quoque noſtram actionem ad illius obteſtationem accommodauimus. Illa enim in obteſtatione cum diceretur Philoctemon teſtamentum a ſe ſcriptum nullum reliquiſſe, ideoque hereditatem ſuam Chaereſtrato per teſtamentum non legaſſe, demonſtrauimus id eſſe mendacium, Philoctemonem enim et ſcripſiſſe teſtamentum, et per illud teſtamentum bona ſua Chaereſtrato legaſſe, cum docuiſſemus, tum teſtes quoque produximus, qui ſcribendo interfuere. Quid adhuc [in obteſtatione iactarunt Androcles et conſortes eius?] Philoctemonem ſine prole deceſſiſſe. Atqui quomodo poteſt is ſine prole deceſſiſſe dici, qui ſororis filium pro ſuo adoptarit, et heredem bonorum reliquerit? cui lex perinde adiudicet hereditatem, atque ſi Philoctemon liberos ex ſe natos reliquiſſet. Nam in lege pla-

nis

nis verbis sic scriptum est; si cui, qui adoptasset aliquem, postmodum liberi ex ipso nati accesserint, fas esse, vt adoptatus cum genuinis liberis parem ratam portionem hereditatis fortiatur. Demonstrato itaque [Androcles] hos, quorum ipse tuendam suscepit causam, pari iure genuinos Euctemonis liberos esse, atque vnusquisque vestrum sui patris genuinus filius est. Non enim ideo statim genuinus et legitimus fit filius, si quis matris nomen edat, sed si, qui genuinum se fert Euctemonis filium, is genuinitatem suam confirmet quoque testatamque faciat eos testes producendo, qui matrem ipsius norint cum Euctemone pro matre familias legitime cohabitantem; cognatos puta, et de notas, et phratoras, quos necesse est scire, num Euctemon pro illa vxore sua, si fuerit, publicum quendam sumtum fecerit. Praeterea, illa praetensa Euctemonis vxor, vbinam locorum sepulta est? quorumnam in tumulis? quis nouit Euctemonem ei iusta facientem? vbinam matris defunctae Manibus liberi adhuc superstites inferias inferunt, et suffiunt? Ecquis vnus ciuium omnium ista nouit? aut ecquis famulorum Euctemonis? Sunt haec omnia stringentia et inuicta argumenta, rem magis conficientia, quam mera conuicia, quo solo armorum genere Androcles nos impugnat. His ipsis de rebus si postulabitis, iudices, ab eo doceri, certique fieri, quemadmodum eas etiam in obtestatione sua asseuerauit, et vos sententiam feretis sanctam, et hi [Chaerestratus cum suis] iure suo potientur.

ORATIO ISAEI SEXTA,

agens de Apollodori hereditate.

Olim equidem, viri, existimabam, eas solummodo adoptationes non oportere in controuersiam vocari, quae sic factae fuissent, vt adoptans ipse, superstes

ſtes adhuc, et recte mente ſibi conſtans, eas peregerit, vt adoptandum ad ſacra et templa adduxerit, vt cognatis eam coram demonſtrarit, ad eosque pro ſuo declararit, vt in tabularium commune [phratorum atque demotarum] inſcribendum curarit, vt omnia denique, quaecunque in eiusmodi negotio agenda ſunt, ipſe per ſe, proſpere valens, ſanaeque mentis compos peregerit: ſed illas tantum opinabar controuerſiae obnoxias adoptationes, quas fecerint illi, qui in articulo mortis conſtituti, per teſtamentum edixerint, ad quem poſt fata ſua peruenire bona ſua velint, literisque conſignatum eiusmodi teſtamentum obſignatumque apud alios quosdam depoſuerint. Priore enim illo modo qui adoptat, is planum teſtatumque ad omnes facit ſua de voluntate, totum negotium a capite ad calcem actibus auctoritatis ſuae confirmans; cuius rei copiam ius ciuile ei faciebat. In teſtamento autem literis exarato atque obſignato, qui voluntatis ſuae ſignificationem velut absconſam depoſuit, is eam obſcuram atque ignotam dubiamque fecit. Quo factum eſt vt multi, eiusmodi tabulas teſtamentarias confictas atque ſuppoſitas eſſe aientes, ita adoptatis de adeunda hereditate controuerſiam mouerint. Nunc autem mihi videtur omnis cauendi diligentia ſuperuacanea atque inutilis eſſe. Quamuis enim omnes adoptationis meae actus ita eſſent in propatulo acti, nihilominus tamen ſunt, qui ſuper Apollodori hereditate mecum contendere pro Eupolidis filia contendant. Ego vero ſi quidem vos viderem, iudices, obliquas in iure agendi vias, per obteſtationes, haud licere hac de cauſa agi, directae viae praeferre, qua quis ſine ambagibus ius ſibi debitum poſtulet; producerem ego quoque teſtes, confirmaturos, hereditatem hanc haud eſſe vacuefactam, ideoque controuerſiae haud expoſitam, quod ego filius ſim Apollodori, ab eo ſecundum leges adoptatus. Verum-

enimuero, quia fieri nequit, vt hanc viam sectando, quam nunc ingredior, ius aequum in occulto maneat, progressus sum ad vos, ita verba facturus, vt totam rem gestam vos doceam; quo aduersarii ne causentur, noluisse nos sibi hoc actionis genere satisfacere. Docebo autem non hoc solummodo, Apollodorum hereditatem cognatis proximis non reliquisse, grauissimis ductum causis, quippe a quibus multis infandis modis vexatus et laesus fuisset, sed istud quoque docebo, ab Apollodoro me esse filium adoptatum, iure merito, quippe qui nepos ipsius e sorore essem, et quod parentes mei Apollodorum multis magnisque beneficiis sibi obstrinxissent. Quare vos rogo, iudices, viritim et vniuersos, vt aures mentesque mihi praebeatis aequas et beneuolas, et vbi eos coarguero in hereditatem nil ad ipsos pertinentem summa cum impudentia inuolantes, tum mihi, qua par est, succurratis. Disseram autem, quam potero breuissimis, rem a principio inde repetens, quae sic habet. Fratres erant hi tres germani, iudices, Eupolis, et Thrasyllus, atque Mneson, ab iisdem sati parentibus; qui substantiam, ingentem a patre relictam, cum inter se sortiti essent, (tanta autem erat illa, vt vos eos dignos censeretis, qui munera publica sumtuosa ederent) duo eorum sub idem tempus vita excedebant; Mneson quidem in Vrbe, sine prole, vt qui ne vxorem quidem duxisset; Thrasyllus autem in Sicilia, quo susceptae expeditioni vt cum imperio trierarchi interesset, vna cum multis aliis delectus fuerat; relicto filio, Apollodoro, eodem illo, qui me nuper sibi filium adoptauit. Eupolis itaque de tribus fratribus solus relictus, haud indignum se duxit, vt bonorum Apollodoro debitorum partem haud exiguam interuerteret. Mnesonis enim hereditatem, cuius semissis Apollodoro competebat, soli sibi totam arrogauit, praetextu vsus, eam sibi a fratre

tre legatam fuisse; ipsiusque Apollodori tutelam ita gessit, vt causa caderet tribus talentis aestimata, quae illius tutelae nomine ab eo petebantur. Archedamus enim, auus meus, qui Apollodori matrem in matrimonio habuit, meam auiam, cernens Appollodorum a tutore bonis omnibus priuari, vna cum eius matre eum domi suae recepit atque sub oculis suis educauit, puberique facto praesto fuit actiones male gestae tutelae in Eupolin exsequenti, eoque Eupolidi non solum semissem hereditatis a Mnesone relictae actione prima extorsit, verum etiam altera posteriore actione victum Eupolin coegit, Apollodoro omnia reddere, ab huius patre, Thrasyllo relicta, quibus Eupolis pupillum defraudasset. Archedamus tam strenuam nauauit operam, vt Apollodorus totum patrimonium recuperaret. Quapropter Eupolis atque Apollodorus per totam vitam simultates inter se agitauerunt; auus autem meus atque Apollodorus, prout etiam par erat, semper fuere coniunctissimi. Verum ipsis e rebus gestis melius, quam ex oratione mea, intelligatur, quam sedulo studuerit Apollodorus acceptam gratiam demereri. Auus enim ea cum esset ictus calamitate, vt ab hostibus caperetur, ad redimendi eius pretium de suo conferre non dubitauit Apollodorus, obsidemque agere, donec ille totam summam aeris vnde vnde coëgisset. Auoque e pristinis copiis ad incitas redacto, in re eius familiari gerenda tuendaque operam nauauit, sui patrimonii copiam ei faciens, et ad expeditionem Corinthiacam proficiscens, constituebat de substantia sua, eamque, si quid sibi secius contingeret, sorori suae, quae eadem aui mei filia, et mihi mater est, legabat, eamque Leocratidae, qui nunc hierophanta est, nuptum elocabat. Hoc ille animo erga nos fuit, qui eum a principio seruassemus. Quo vobis autem constet, iudices, haec a me vera dici, et bis ab Apollodoro victum in foro fuisse Eupolin, semel titulo male gestae

tutelae, tum rursus interuersae semissis bonorum a Mnesone relictorum, auo meo causam Apollodori oratione adiuuante, eoque pacto Apollodorum bona sua recuperasse, verum etiam tantorum a nobis acceptorum beneficiorum memorem fuisse, eoque, quo dixi, modo compensatum isse; horum omnium ego testes producam. Cita tu mihi hos. *Testes.* Haec tanta erant beneficia a nobis in Apollodorum collata. Simultatis vero, quae ipsi cum Eupolide intercessit, in causa fuit fraus, qua hic illum re tam lauta fraudatum erat. Quam simultatem haud licet dicere ab illis sublatam atque cum amicitia commutatam esse. Cuius rei magna edam istaec documenta. Eupolidi enim tametsi duae essent filiae, neutram tamen earum Apollodoro collocauit, quem non sui fratris solummodo filium nosset, sed etiam bene locupletem esse; neque fugiebat eum affinitates per connubia contractas videri non consanguineos modo, sed vel obuios quosque adeo inter se reconciliare, magnasque simultates exstinguere et posse et solere. Fiduciae enim recordatio non potest non odia ex animis exterminare, eorumque loco beneuolentiam mutuam iniicere, cum videas eos, qui tibi olim inimici fuissent, carissima sibi pignora tibi credere. Quicquid eius est, siue culpa penes Eupolin, siue penes Apollodorum fuit, siue ille filiam dare noluit ad vxoriam conditionem, siue hic oblatam recusauit, mansit vtique inter eos simultas, vt res ipsa docuit. Verum de illorum quidem simultate satis mihi videor disseruisse. Certus enim sum, vestrum quoque, quotquot aetate sunt prouectiores, meminisse adhuc actionum forensium, quibus illi sese mutuo exagitarunt. Nam et magnitudo postulationum, et victoriae fama, qua Archedamus Eupolin perculit, quem multis atque tam luculentis modis, vt contra hiscere nequiret, condemnauit; hominum oculos conuertit.

Adop-

Adoptatum autem me pro filio esse ab Apollodoro, adhuc saluo et valente, scriptumque bonorum eius heredem, codicibusque et genetarum et phratorum inscriptum, accingor nunc vt doceam. Quod facienti mihi vt aures praebeatis benignas, mentemque attentam, etiam atque etiam rogo. Apollodoro filius erat, quem pater, vt par erat, et erudiebat, et fouebat, sperans fore aliquando, vt ipse vita excedens eum heredem bonorum suorum post se relinqueret. Verum ille filius anni proximi superioris mense Maemacterione morbo decessit. Ibi pater praesentis infortunii aegritudine depressus, et de affecta aetate sua desperans, [vt alieniore a spe nouae prolis suscipiendae] non oblitus, a quibus esset a principio beneficiis ornatus, ad matrem meam, sororem suam, quam plurimi faciebat, adiit, ab eaque petiit, vt me sibi filium daret; et rogatis potitus, ita festinauit negotium hoc peragere, vt statim me secum in domum suam deduceret, totamque suam rem familiarem mihi administrandam traderet, quasi ipse iam defunctus huiusmodi curis, et impar, ego vero idoneus essem nihil non agere. Veniente tum Thargeliorum die festo adducebat me ad genetas et phratoras, et coram ara constituebat. Est autem illis in more positum, vt quicunque filium in conuentum eorum inducat, siue ex ipso natum, siue adoptatum, (nam promiscue id habent) is per sacra iuret, illum a se filium induci, natum e ciue attica, et legitimo modo. Tam in adoptato hoc, vt dixi, obseruatur, quam in genuino. Quae tametsi pater inducens egerit, illi nihilominus tamen omnes et singuli in suffragia eunt, et vbi, qui inductus est, omnibus visus fuerit admittendus esse, tum demum, neque citius, in communem codicem inscribitur. Tam diligenter et tam feuere illi iura sua tuentur. Phratores igitur Apollodori atque genetae, haud immemores huius legis penes se vsitatae, et Apollodoro haud diffidentes, ipsum-

que me haud ignotum ſibi habentes, ſed certi, ex Apollodori ſorore me natum, haud dubio ſuffragiorum conſenſu decernunt omnes nomen meum in communi codice ſcribendum, cum ille ſolito more per ſacra deieraſſet. Hoc ego pacto ab Apollodoro adhuc ſuperſtite et bene valente fui filius adoptatus, et in codice phratorum communi ſcriptus hoc titulo *Thraſyllus Apollodori*, ipſo coram adoptatore, legibus id fieri ſinentibus. Quae vt conſtet a me vera dici, cape tu haec teſtimonia. *Teſtimonia.* Teſtes itaque haec ita quidem teſtati ſunt, verum ipſi quoque aduerſarii eadem teſtantur. Quibusnam autem aliis vos conuenit fidem magis habere, quam teſtibus, et, ſi qui neceſſariorum, ſi non verbis, at rebus tamen et factis perſpicuis teſtentur, Apollodorum iſta recte legibusque conuenienter egiſſe? Reliquit nempe Eupolis duas filias, et hanc, quae adhuc ſupereſt, materfamilias Pronapidis, et mecum ſuper hac Apollodori patris mei hereditate contendit, et aliam, quae olim, cum adhuc ſupereſſet, penes Aeſchinem Luſienſem fuit, iam vero vita defuncta filium reliquit, iam ad virilem aetatem adultum, nomine Thraſybulum. Iam lex eſt huius formulae: ſi qui frater duarum ſororum, ex iisdem parentibus natus, ſine prole deceſſerit, nulloque ſcripto teſtamento, tum aequis partibus hereditatem eius cernere ſororemque alteram adhuc ſuperſtitem, alteriusque vita defunctae filium. Hoc legis edictum illos [Eupolidis filias, caeterosque cum illis facientes neceſſarios] haud fugit. Rebus enim geſtis teſtatum fecerunt, legem illam ſibi notam eſſe, eique ſe parere. Eupolidis enim filius, Apollodorus item dictus, cum ſine prole deceſſiſſet, ſemiſſem ſubſtantiae ad quinque talenta valentis tulit Thraſybulus. Vnde patet filiabus et ſororibus a iure ciuili partes aequales bonorum a patribus et a fratribus relictorum attribui; conſobrinorum

rum autem de bonis, et quicunque alii extra cognationis gradum modo dictum sunt, non aequales attributi partes hereditatum foeminis, sed in huiusmodi causis conditionem marium meliorem esse et a lege praehaberi conditioni foeminarum. verba legis enim haec sunt: potiores oportere mares esse e maribusque natos, dummodo hi mares ex iisdem prognati sint, e quibus foemininae [de hereditate eadem inter se contendentes,] etiamsi mares illi gradu consanguinitatis [ab hereditatis relictae postremo domino] longius distent, quam foeminae. Secundum hanc legem mulieri huic [Eupolidis filiae] ne vllam quidem partem [hereditatis ab Apollodoro Thrasylli filio relictae] petendi ius erat. Thrasybulus autem totam petere poterat, nisi obstaret hoc, quod ego ab Apollodoro adoptatus sim, quam adoptationem Thrasybulus ratam habet. Nam neque vllam mihi vnquam de Apollodori hereditate mouit controuersiam, neque eam in iure petiit, sed omnia ab Apollodoro constituta bene se habere confessus est. Hi autem [patroni causae filiae Eupolidis] pro hac [filia Eupolidis] qua sunt impudentia, totam petere ausi sunt [hereditatem ab Apollodoro, Thrasylli filio relictam.] Cape tu has leges, quas hi migrarunt, easque recita his [iudicibus.] *Lex.* Hac quidem e lege partes hereditatis aequales ferunt defuncti soror superstes, et filius ab altera sorore defuncta relictus. Cape hanc quoque legem, et recita illis. *Lex.* Consobrini si nulli sunt, neque consobrinorum liberi, neque consanguineorum quisquam ab eodem patre, gentis conditore, oriundorum, tum tradidit legislator hereditatem consanguineis a parte matris, definiens, quosnam oporteat potiores esse. Cape tu hanc quoque legem, et ipsis recita. *Lex.* Legibus haec edicentibus, Thrasybulus hic, tametsi vir esset, [eoque ab hereditatis iure propior] tamen ne partem quidem

eius petiit, hic autem [Pronapis,] loco et nomine huius mulieris, [vxoris suae] totam petiit. Adeo nil autumant impudentiam obesse, etiamsi in rebus tam planis et perspicuis leges migrare audeant. Verumtamen hac vtuntur excusatione, Thrasybulum in domum Hippolochidae emancipatum esse, ideoque sibi competere ius vniuersam Apollodori hereditatem petendi. Vere quidem illi hactenus, quod emancipatum aiunt Thrasybulum; verum ad rem hoc quidem nil facit. Ecquid enim eo minuitur Thrasybulo ius hanc hereditatem petendi? Num, quod emancipatus est, ideo minus est Apollodori cognatus? Etiam alterius Apollodori, qui filius Eupolidis fuit, semissem hereditatis, non e paterno, sed materno iure accepit, [quod ius per adoptationem non mutatur.] Licebat ergo ei, cognitionis quidem ex titulo, bona Apollodori, e Thrasyllo nati, quae bona ego mihi nunc vindico, petere, quippe qui foeminam hanc [Eupolidis filiam] in iure petendi antecederet, et petisset quoque, nisi existimasset, recte habere ab Apollodoro super adoptatione mei bonorumque legatione constituta. Verum Thrasyllus non est impudens. nam matris quidem nemo est emancipatus, [h. e. tametsi in domum alienam emancipatus iura amittit a parte patris ei competentia, non ideo tamen pariter iura quoque amittit a parte matris ei debita, sed haec certe salua semper ei manent.] Sed perinde seruat quisque matrem suam [h. e. iura per matrem conuenientia] siue in domo paterna manet, siue in alienam emancipatur. Quapropter etiam Thrasybulus parte bonorum Apollodori, [eius, qui filius Eupolidis fuit,] rata [eique per matrem competente] fraudatus non fuit, sed hereditatis illius semissem alteram abstulit ipse, alteram haec mulier, [Eupolidis filia. Pronapidis vxor.] Quae vt constet a me vera dici, testes harum rerum tu mihi cita. *Testes.* Ad hunc modum

modum non genetae solummodo, neque phratores, de mea adoptatione testati sunt, sed etiam Thrasybulus eo, quod de Apollodori hereditate mecum non contendit, ipso facto declarauit, se existimare, ab Apollodoro constituta rata esse iurique ciuili consentanea. Nam si irrita illa legibusque aduersa habuisset, profecto non commisisset, vt tam amplam hereditatem in iure petere omitteret. Verum sunt Apollodoro, patri meo, de veritate meae adoptationis alii quoque testes. Nam priusquam ego e ludis Pythicis redirem, ita cum demotis [seu municipalibus] egit Apollodorus: se fecisse, vt ego ipsi filius adoptarer, atque vt nomen meum in codicem cognatorum atque phratorum, ceu filii sui, inferretur, facultatesque mihi tradidisse; quocirca hortari se demotas, vt, si ab hora fatali opprimeretur, priusquam redissem, in codicem suum lexiarchicum nomen meum inscribant, hoc titulo *Thrasyllus Apollodori;* neue contra faxint. Et illi quidem [municipales Apollodori] istis [ex Apollodoro] auditis, tametsi hi [Pronapis eiusque consortes] secum quererentur, negantes me [ab Apollodoro] adoptatum esse, tamen, et praecepto istoc Apollodori moti, eorumque memores, quae ipsi de adoptatione mei iam dudum ante norant, iureiurando per sacra dicto, in lexiarchicum intulerunt meum nomen eo pacto, quo id faciendum ille [Apollodorus] praeceperat. tam certum penes eos liquidumque meae adoptationis erat negotium. Vera haec me dicere testabuntur hi testes, quos tu mihi cita. *Testes.* Coram tot testibus gestum fuit hoc adoptationis negotium ab Apollodoro, cui cum his [Eupolidis domesticis] vetusta simultas intercedebat, nobiscum autem, praeter arctam sanguinis necessitudinem, adhuc quoque summa caritas. Verumenimuero, etiamsi neutrum horum fuisset, neque simultas cum his, neque familiaritas nobiscum, nun-

quam tamen Apollodorus bona sua in horum potestate reliquisset; id quod facile vos e mox dicendis colligetis. Omnes animam agitantes sedulo cauent hoc, vt domus suae desolatae ne fiant, sed vt sit, qui Manibus suis inferias inferat, et reliqua iusta faciat. Quapropter, si qui improles ipsi sint, tamen filios sibi per adoptationem arrogant, quos nominisque bonorumque suorum heredes relinquunt. Neque priuatim solummodo censetur hoc ius et fas esse, atque exercetur, sed ipsa quoque resp. idem ratum sanctumque voluit esse. Lege enim peculiariter hac de re lata mandauit resp. Archonti, vt prouideat, ne quae domus desolatae fiant. Iam planum Apollodoro atque perspicuum erat, si facultates suas horum hominum potestati permitteret, eadem se opera facturum quoque esse, vt sua domus desolaretur. Quid ita? Viderat nempe has sorores [Eupolidis filias] fratris quidem sui, Apollodori, habere bona, filium autem ei nullum sufficere, quamuis liberis maribus abundarent, et maritos earum fundum ab Apollodoro relictum vna cum instrumento rustico, ad quinque talentorum valorem, vendidisse, pecuniamque e venditione redactam inter se diuisisse; domumque Apollodori hoc pacto iacere desolatam, turpi horrendoque exemplo. Fratem itaque qui nosset istaec a sororibus passum, qui poterat is sperare futurum, vt ipse, etiamsi amicus atque familiaris illis fuisset, quibus fuit infestissimus, ab his honores supremos et iusta adipisceretur, quorum non frater, sed solummodo consobrinus esset. Profecto negata illi erat haec spes. Illos autem fratri suo filium nullum defuncto suffecisse, et nihilominus tamen eius bona possidere, domumque, quae quondam, id quod inter omnes constat, trierarchatus onera sustentauit, de medio sustulisse, testabuntur testes hi, quos abs te mihi citari volo. *Testes.* Hoc igitur hi cum essent ingenio animoque erga

erga semet ipsos, et tanta cum esset iisdem atque tam inueterata cum Apollodoro simultas, quid aliud poterat Apollodoro melius in mentem venire, quam vt hoc, quod exsecutus est, consilium capesseret. Atqui debuerat, ais, medius fidius, sumtum ab amicorum aliquo puerum adoptare, heredemque bonorum suorum facere? Atqui fuisset ipsique [Apollodoro] ipsisque parentibus pueri huiuscemodi incertum, cuias ille puer esset olim aliquando futurus, frugine, an nequam, aetate pueri nullam vtramuis in partem edente significationem. Mei autem documentum ceperat [Apollodorus] quod satis esset, ad iudicandum, quae de me speranda haberet. Norat enim quo animo erga patremque matremque essem. Norat me necessariorum studiosum; rerum me mearum norat satagentem; norat qualem in magistratu me gessissem. Thesmothetae enim honore functus ita sum, vt neque ius aequum peruerterem, neque largitionibus corrumperer. Haec Apollodorus non ignorans, sed probe tenens, bonorum suorum me faciebat arbitrum, non alienum hominem, vnde vnde arreptum, sed sororis suae filium, neque minutis quibusdam nostris officiis, sed vel maximis obstrictus beneficiis, neque me animi ita abiecti atque degeneris, vt passurus essem bona eius pessum ire, quemadmodi hi passi sunt sui fratris bona pessum ire atque ad alios peruenire, sed alacriter promteque functurum muniis et trierarchatus, et militiae in terra continente, et choregatus, denique, quaecunque vos imperaturi sitis, libenter atque sedulo esse exsecuturum; quemadmodom ipse quoque fuit. Atqui si et cognatus Apollodoro eram, et amicus, et bene de eo meritus, et documentis mei datis hanc ei fidem feceram, vt certus esset, me talem esse: ecquis iam dubitet, adoptandi mei consilium ab homine sanae mentis profectum esse? Ego certe vnum aliquod eorum, quae mihi ab eo iniuncta fuerunt, peregi, gymnasiarchatu functus in

Pro-

Prometheis, hoc ipso anno, splendide atque liberaliter, id quod omnes norunt tribules. Vera haec a me dici confirmabunt hi testes, quos mihi abs te citari volo. *Testes* Haec capita sunt, iudices, illa iuris, quorum freti auctoritate aimus atque contendimus, hereditatem Apollodori nostram esse, et aequum esse nos ea potiri. Iam rogo vos, iudices, obtestorque, vt nobis faueatis, cum Apollodori gratia, tum Thrasylli, qui pater eius fuit, quos reperietis homines non nauci, neque poenitendos fuisse, sed inprimis frugi ciues, vestrique perquam studiosos. Pater Apollodori vt alia omnia obiit munia sumtuosa, ita trierarchatus quoque gessit alios ex aliis, et tota paene vita continuauit, non sic, vt trierarchi, qui nunc sunt, faciunt, quorum vnusquisque sumtuum paene nihil facit in suam triremem armandam atque instruendam, societate cum aliis multis inita; sed solus per se, neque intercalandis otii bienniis, sed continenter; neque perfunctorie et dicis causa, sed nauiter, apparatu, quam fieri potest, lautissimo atque probatissimo. Quamobrem et viuum vos eum honorauistis, et extincto, memores reum fortiter ab eo praeclareque gestarum, filio seruastis atque reddidistis fortunas, quibus spoliatus fuerat, eo, quod earum praedones cogeretis legitimo domino eas restituere. Ad ipsum veniamus Apollodorum. Non is, vt hic Pronapis, censum exiguum professus, [quo contributionum exiguis pensionibus defungeretur,] sed ordini equitum adscriptus, honores gessit illi ordini competentes, primarios, eoque inprimis sumtuosos. Neque vi studuit aliena bona legitimis dominis eripere, iisqus clam incubare, vt vos fructum eorum nullum perciperetis, sed facultates palam ad vos professus, et habens in fundis et domibus, quaecunque vos exigeretis, ea liberaliter et cum gloriae studio praestitit. Neminis cum iniuria, studebat de pe-

de peculii sui vectigalibus personam in vita ciuili splendidam agere, existimans se decere, in semetipsum quidem sumtus facere modicos, quo sufficere posset impendiis; quae autem supereſſent, ea necessitatibus reip. reseruare. Sic factum est, vt muniis omnibus satisfaceret. Ecquam enim liturgiam non ad finem perduxit? aut ecquam contributionem pecuniariam non inter primos contulit? aut ecquibus partibus suis defuit? non aliquando choro puerili vicit, quem, choregum agens, ipse produxerat? cuius liberalitatis ab Apollodoro demonstratae monumentum prostat tripus ab illo choro dedicatus in ipsius honorem. Atqui quae sunt boni ciuis partes? Nonne cupiditatem aliorum, bona aliena, ad se nil pertinentia, iustis dominis eripere contendentium, ita auersari, vt bona tua salua conseruare atque tueri studeas? Nonne, cum resp. aeris eget, inter primos censeri conferentes, nullamque bonorum partem clam habere, a necessitate contribuendi exemtam? Talis vero fuit Apollodorus. Quapropter ei vos hanc merito retuleritis gratiam, vt ab eo factam de bonis suis constitutionem ratam habeatis, vestraque approbatione confirmetis. Quid? quod me ipsum quoque ciuem reperietis non malum, neque contemnendum. Expeditionibus castrensibus, quotquot aetate mea reip. suscipiendae euenerunt, omnibus interfui. Imperata exsequor; id quod est officium ciuium, id aetatis, quod ego nunc ago, agentium. Illorum itaque [Thrasylli puta atque Apollodori] pariter, atque nostrum gratia, [mei inquam, meorumque parentum atque consanguineorum] prospicite nobis, salutemque atque dignitatem nostram curae cordique habete; praesertim his [Pronapide, eiusque consortibus] trierarchatu nullo fungentibus, tametsi hereditatem adierint quinque talentis parem; nam eam quidem dissiparunt; domum, quae trierar-

cha-

chatus olim ferre soleret impendia, ad nihilum redegerunt, fundis diuenditis, gentemque nobilem desolauerunt, et in causa fuerunt, vt ea prorsus exstingueretur; nos autem et gessimus, quaecunque sunt, munia sumtuosa, et in posterum quoque geremus, si nempe vos Apollodori voluntatem ratam iubeatis esse, hereditatem hanc nobis sententia vestra addicentes. Dicendi finem vt faciam, ne plura hac de re differendo garrulus et putidus vobis videar, de suggestu statim descendam, postea quam breuissimis summa capita iuris, quo nostrum quisque fidit, perstrinxero. Nostra mater, o iudices, Apollodori soror fuit. Nulla eos vnquam intercessit simultas, sed magna et perpetua caritate mutua semper fuerunt coniunctissimi. Ego Apollodori sum e sorore nepos et filius, ab eo adoptatus adhuc superstite et mentis adhuc compote, et ab eodem in genetas et phratoras inscriptus. Quibus de causis hereditatem Apollodori postulo, ab ipso mihi donatam, habere cum pace vestra, atque tenere; his autem vt copiam negetis domus desolandae. Pronapis contra ecquid affert pro [vxore sua] eandem hereditatem petente? Aequum nempe censens, sibique datum, eam vt habeat teneatque pecuniam, quam e vendita semisse redegit illius hereditatis, quam frater vxoris suae reliquit, contendit nunc hanc quoque rapere hereditatem, cuius adeundae praestant alii iure potiore, quam est eius vxori; quamuis, vt in locum illius prioris Apollodori dudum ante defuncti nullum suffecit filium, eoque domum illius passus fuit desolari, ita huic quoque posterius defuncto Apollodoro nullum sit filium suffecturus, sed huius quoque domum pari modo passurus desolari. Porro afferet Pronapis, sibi suisque cum Apollodoro nostro simultatem fuisse acerrimam et perpetuam, nullaque compositione placatam. Haec spectare vos decet, iudices, et praeter-

praeterea hoc quoque meminisse, me Apollodori e sorore nepotem, illam autem [Eupolidis filiam, Pronapidis vxorem] eiusdem Apollodori consobrinam esse: item hoc, illi mulieri geminam obtigisse hereditatem, mihi vero vnam hanc solummodo, in quam ab ipso eius nouissimo domino cum filii et heredis nomine immissus sum. illam haud beneuolo fuisse animo erga eum, a quo istaec hereditas relicta fuit, me autem auumque meum multa et magna in eum beneficia contulisse. Haec omnia cum sedulo vobiscum eritis meditati, iudices, sic tandem ponite calculum aequo iuri consentaneum. Quae plura dicam, haud habeo, nullus dubitans, a me dictorum nihil vobis obscurum et dubium esse.

ISAEI ORATIO SEPTIMA,

quae est super Cironis hereditate.

Necesse tum est, iudices, indignari, cum sunt homines, qui non solum aliena bona sibi arrogare, de iisque, tanquam de suis, in iure contendere audeant, sed etiam iura a legibus constituta suis conclusiunculis eludere contendant. Id quod hi quoque nunc perficere laborant. Auus enim noster, Ciro, cum non improlis decessisset, sed nos, e filia natos, sibi suffeciisset pro liberis genuinis, hi nihilominus tamen hereditatem Cironis in iure petunt, praetendentes, ei se in sanguine proximos esse, praetereaque hanc nobis contumeliam adspergentes, vt nos e filia Cironis natos negent. Nullam enim Cironi filiam fuisse. Quam ad impudentiam eos impellit et ipsorum auiditas, et facultatum magnitudo a Cirone relictarum, quas habentes tenentesque per vim et nefas raptas nobisque extortas, dictitare tamen nulli dubitant, a Cirone nihil esse relictum. Quod aientes, nihilominus tamen here-

hereditatem ab eo relictam in iure petunt. Verumtamen existimandum est, causam hanc mihi esse, non tam cum eo, qui nomen suum huic hereditatis petitioni accommodauit, quam potius cum Diocle Phlyense, vulgo Oreste cognominato. Hic enim hunc [puerum Cironis ex fratre aut sorore nepotem] subornauit, vt has turbas nobis daret. Quo Diocles hoc agit, vt bonis nos fraudet iis, quae Ciron, auus noster, moriens nobis reliquit, et haec in discrimina nos coniiciat, ipse autem sibi bona illa propria habeat tencatque, neque eorum quicquam reddat, si possit orationis suae praestigiis hoc consequi, vt vos decipiamini. Fraudes itaque tam turpes his machinantibus, totam vos rem ex ordine doceri conuenit; quo vos, nullam partem rei gestae ignorantes, sed cunctam probe tenentes, sic demum de ea pronuncietis. Quodsi ergo alii cuipiam causae a vobis diiudicandae animum adiicitis, etiam huic, quaeso, attendite, qua par etiam est. Iudicia quamquam hac in vrbe multa multis de causis agitantur, nulli tamen vnquam fuerunt homines his hominibus impudentiores, quos constat legumque seueritatem vestramque auctoritatem tam parui fecisse, vt nullos alios magis. Arduum quidem est, iudices, hominem vsus forensis prorsus imperitum aduersus apparatum causationum et subterfugiorum vafre excogitatorum et e longinquo comparatorum, et aduersus testes falsa confirmare paratos, in certamen descendere. Verumtamen multa pascor spe, fore vt aequum ius a vobis in hoc foro vestro obtineam, eoque sic saltim tolerabiliter dicam, vt aequa et vera dixisse videar; nisi tale quid interueniat, quod metuo ne nunc quoque eueniat. Quapropter vos rogo, iudices, vt hanc orationem meam beneuolis auribus accipere, atque, si qua laesus iniuria fuisse vobis visus fuero, mihi succurrere, meumque ius vindicare velitis,

velitis, quatenus par est. Primum itaque docebo hoc, matrem meam Cironis esse legitimam filiam, partim famam rerum olim gestarum nostraque memoria antiquiorum allegando sermonibus hominum atque testium affirmationibus traditam; partim testes producendo, rerum earum, quae sunt eiusmodi, vt adhuc teneri memoria queant, gnaros, et qui iis, dum gererentur, interfuere; praeterea quoque colligendo ex indiciis, quorum fides ipsa testium fide est potior. Quae omnia vbi plana dedero, atque extra controuersiam posita, tum accedam ad docendum, hereditatem Cironis mihi magis, quam huic, competere. Vnde igitur illi disputationem hac de causa ipsi exorsi sunt, illinc ego quoque principium faciam vos, si potero, docendi. Auus nempe meus, o iudices, auiam in matrimonium duxit, consobrinam suam, quae cum matrem meam illi peperisset, anno aetatis trigesimo [aut, post triennium in coniugio exactum] viuis excessit. Auus itaque, cui praeter vnicam illam filiam alii nulli liberi essent, animo ad secundas nuptias adiecto, domum duxit Dioclis huius sororem, vnde duo mares ipsi nati sunt. Sub huius secundae vxoris oculis auus filiam suam [matrem meam] educauit, vna cum maribus ex illa secunda vxore natis, et ad nubiles annos prouectam, superstitibus adhuc eius fratribus, nuptui elocauit, Nausimeni Cholargensi, cum dote viginti quinque minarum, partim in numerata pecunia, partim in veste muliebri et mundo aureo pecunia aestimato. Triennio aut quadriennio post moritur Nausimenes, e morbo, nulla prole ex illa sua vxore relicta, quae postmodum nostra mater est facta. Auus filiam cum e domo mariti defuncti in suam retulisset, neque dotem iutegram recuperasset, ob afflictam Nausimenis rem familiarem, rursus elocat meo patri, cum dote mille drachmarum. Haec itaque omnia si quis istorum causationibus et cri-

minationibus opponat, quo pacto perspicue doceat vere facta esse? Eo nempe, quo ego verum indagans inueni. Fueritne mater mea Cironis filia, necne, et num in domo eius versata fuerit, necne, et num Ciron eius causa geminas nuptias festiuis epulis concelebrarit, an minus, et quamnam dotem vnusquisque tulerit illorum duum, quibus mea mater alii post alium nupsit, haec omnia nota fuisse necesse est seruis et ancillabus, quae illi [Cironi] fuerunt. Volens igitur ego, praeter eos, qui mihi praesto sunt, testes, etiam e confessionibus, quas serui ancillaeque edituri essent a quaesitione per tormenta expressas, haec explorata et conuicta dare, quo magis testibus fidem haberetis iis, qui dictorum a se approbationem non adhuc daturi essent, sed iam dedissent, postulaui ab his [Diocle et consortibus] vt seruos ancillasque ad quaesitionem traderent his de rebus, quas modo commemoraui, et de aliis, si quae cognitae ipsis perspectaeque essent. Verum hic idem [Diocles] qui mox postulabit a vobis, vt testibus suis fidem habeatis, explorationem rei per tormenta defugit. Atqui si conuincetur oblatam a me conditionem ab eo repudiatam fuisse, quid testibus iis, quibus ille vtetur, manebit reliquum praeter hoc vnum, vt causam falsam et ementitam testimonio mercenario incrustasse videantur, quandoquidem hic [Diocles] tam certo et decretorio argumento vti noluerit? Nihil profecto, mea quidem sententia. Quo autem constet vera me dicere, cape tu primum hoc testimonium et recita. *Testimonium.* Vos itaque quidem, iudices, et publice et priuatim quaesitionem per tormenta seruorum certissimam atque firmissimam habetis fidei approbationem, et in causa, vbi cum ingenuis serui quoque interueniant, si quid quaeratur, quod erui et in lucem proferri e re sit, testimoniis ingenuorum nil vtimini, sed per seruorum

tor-

tormenta conamini rerum gestarum, de quibus dubitatur, certitudinem expiscari. Et merito quidem ita vos, iudices, proceditis, bene gnari, testium haud paucos testimonia dixisse visos fuisse mentita, seruorum autem tormentis subiectorum nullus vnquam fuit, qui conuictus esset falsa sub tormentis edidisse. Hic vero [Diocles] postulabit, vt commenticiis suis praetensionibus, testibusque ad falsa confirmandum mercede redemtis fidem habeatis, cum ipse fidei documentum tam certum et fallere nescium defugerit. Nos vero ita non agimus, sed prius ad seruorum per tormenta quaesitionem procedi postulamus, aequum id esse iudicantes; hos autem tam aequam conditionem defugientes producimus, eoque facto sic demum poscimus vt fidem testibus nostris habeatis. Cape tu hoc testimonium et recita [iudicibus] hisce. *Testimonia.* Quosnam consentaneum est vetusta nosse? scilicet eos, qui auo familiariter vsi sunt. Iam hi eo modo testimonii, qui ἀκοὴ [inauditio, fama, relatio] vsurpatur, testati sunt. Quosnam porro necesse est de meae matris in matrimonium elocatione nosse? Nimirum eos, quibus illa desponsa fuit, nec non eos, qui sponsalibus interfuerunt. Iam testati sunt Nausimenis necessarii hac de re, vna cum patris mei necessariis. Quinam tandem norunt matrem meam Cironis esse genuinam filiam, in domoque sinuque patris sui Cironis educatam? Hi ipsi, qui, quae ego nunc aio, ea in controuersiam vocant. Eo enim, quod mancipia ad quaelitionem tradere recusarunt, e quibus harum rerum verae rationes omnium certissime explorari poterant, ipso facto palam testati sunt, se nosse vera esse omnia, quae aio. Quapropter vos vtique, iudices, non nostris testibus, sed horum, diffidetis. Verum praeter haec argumenta sunt nobis adhuc alia quoque in promtu, vnde cognoscatis, nos Cironis esse genui-

nos liberos. Ciro nempe nos iis modis accepit habuitque, quibus ab auo materno nepotes accipi atque haberi par et consentaneum est. Sacrificium sine nobis nullum vnquam fecit; sed siue minus, siue maius offerret sacrum, [minoribus diis maioribusue faceret] vbique locorum atque temporum ei nos intereramus, et sacrum vna cum auo peragebamus. Neque ad talia solummodo arcessebamur, sed etiam per Liberalia nos secum rus ducebat semper, in spectaculis assidebamus ipsi, diesque festos apud eum agebamus omnes. Nulli numini addictior erat, quam Ioui Ctesio [vel Peculio, aut Locupletatori,] eique sacra facere imprimis contendebat. Quae sacra faciens neque seruum, neque ingenuos alienos admittebat, sed ipse per sese laboribus tum conuenientibus defungebatur; nos tamen horum socrorum faciebat participes. manuum operam illi accommodabamus, in componendis tignis extisque adiuuabamus, aliaque ministeria praestabamus, et ille inter vota faciendum, a deo precabatur, vt prosperam valetudinem, rem florentem, et quaestus vbertatem nobis quoque largiretur. Id quod eum facere consentaneum quoque erat, qui auus nobis esset. Atqui, nisi nos filiae suae liberos duxisset, solosque sibi reliquos factos nepotes, nunquam horum quicquam feciisset, sed hunc sibi adiunxisset, qui Cironis e sorore nepotem se fert. Vera haec a me dicta esse omnia, norunt quidem omnium certissime aui famuli, quos hic [Diocles] nobis ad quaestionem deposcentibus denegauit; verum etiam eorum aliqui norunt liquidissime, quibus amicis auus familiariter vsus fuit, quos ego vobis testes edam. Cape tu mihi haec testimonia, atque recita. *Testimonia.* Verum non ex his solummodo liquet, matrem nostram Cironis esse genuinam filiam, sed ex actis quoque nostri patris, item e decretis, quae vxores demotarum patris super ea sciue-

runt.

runt. Pater enim nuptias cum matre celebrans, tres quosdam e numero familiarium suorum ad epulas nuptiales inuitauit, praeter necessarios, et τὴν γαμηλίαν [seu victimam nuptiarum ergo phratriae donandam] in phratriam intulit, prout mos est penes illos phratoras. Demotarum quoque vxores eam postmodum vna cum vxore Dioclis; [non huius, sed alius,] Pithensis puta, delegerunt; quo hae duae mulieres principes pompae muliebris essent, in Thesmophoriis solenniter ad templum Cereris procedentis, et vt hae duae sacra vetusto ritu facerent. Pater quoque noster, vt nati fuimus, in phratoras nos induxit, iureiurando dicto, nos sibi e ciue attica, legitime sibi desponsa, ex edicto legum in republica obtinentium, natos esse. Phratorum ibi nullus oblocutus est, neque veritatem rei iureiurando confirmatae in dubium adduxit, tametsi phratorum magnus esset numerus, iique haec talia [vbi de liberis agitur in coetum suum inferendis] perquam seuere atque acerbe scrutari soleant. Atqui existimare vos oportet, ea si fuisset mater nostra, quam hi praedicant, patrem nostrum neque nuptias eius nomine fuisse celebraturum, neque nuptiale sacrum in phratriam illaturum, sed potius coniugium a se cum illa initum occultum fuisse habiturum. Reliquorum quoque demotarum vxores eam nunquam delegissent ad sacra vna cum Dioclis vxore faciendum, neque sacra sua iliius arbitrio fideique commisissent, sed potius alii cuicunque matronae tantam rem permisissent. Phratores item in collegium suum nos non cooptassent, sed accusassent potius natalia nostra claudicantis ingenuitatis, eorumque vitium in apertum protulissent, nisi matrem nostram genuinam Cironis esse filiam vndecunque testatum, et apud omnes in confesso fuisset. Iam vero nihil horum vnquam in controuersiam venit, vt in re in vulgata et ore hominum

omnium concelebrata. Vera haec a me dici, quo conſtet, cita tu mihi hoſce teſtes. *Teſtes.* Praeterea illa ipſa, quae Diocles ab exceſſu aui noſtri geſſit, ſatis, o iudices, produnt, conſtitiſſe inter omnes, Cironis e filia nepotes nos eſſe, ipſumque adeo Dioclem nos pro talibus palam agnouiſſe. Veniebam ſcilicet ego Cironis ad domum, cadauer eius illinc meam in domum aſportatum, vt e qua vellem funus efferri. Habebam mecum aliquem neceſſariorum, patris mei conſobrinum, teſtem mihi futurum eorum, quae tum interuentura videbantur eſſe. Ibi ego Dioclem quidem domi Cironis haud reperi, ingreſſus tamen in domum accingebar ad funus illinc in domum meam transferendum, habens mecum ſeruos ad baiulandum. Verum intercedebat vxor aui, ſupplicans, vt ego vellem e domo ſua funus aui efferre, ſpondens operam a ſe nobis praeſtandam in corpore aui tractando, lauando, et adornando [vel pollingendo] Permouebar, iudices, ab oratione ſupplicantis, lacrymisque, quibus eam orationem proſequebatur, vt ad Dioclis domum accederem, cui coram teſtibus ſignificabam, me decreuiſſe Cironis e domo funus eius efferre, idque dare precibus et obteſtationibus viduae, quae eſſet ipſius [Dioclis] ſoror. Diocles iſta ex me audiens nil obloquebatur, haec tantummodo admonebat, funeris ergo eſſe neſcio quid emtum, cuius de pretio reddendo ſe arrha danda cauiſſe. Rogabat ergo vt pretium ſibi redderem, curabatque ſibi a me ſtatim ſponderi de pretio rerum emtarum reddendo, et, quibus a ſe datam aiebat arrham eſſe, eos ſe ad me adducturum eſſe, mihique coram exhibiturum, affirmantes a Diocle ſibi eſſe ſatisfactum. Protinus itaque Diocles, velut obiter et aliud agendo, ſermoni ſuo immiſcebat mentionem aeris alieni Cironis ergo contracti, quaſi Ciro nihil in facultatibus reliquiſſet, quamquam ego nihil dum de facultа-

cultatibus Cironis quaerebam. Atqui, si Cironis ego e filia nepos non fuissem, profecto nunquam Diocles illud mecum fuisset pactus, sed hac potius oratione me repulisset: tu vero cuias es? quid tibi cum funere Cironis? ego te non noui. noli meam in domum intrare. Hac eum oratione vti tum decebat, quam nunc alios induxit, vt mihi ingererent; tum vero nihil horum ipse ad me, sed hoc potius, vt operam darem, vt die post aes sibi persoluerem. Testes tu mihi cita confirmaturos haec a me vera dici. *Testes.* Neque Diocles solummodo se a tali oratione abstinuit, verum etiam hic ipse, qui [ab eo instigatus] nunc mecum super hereditate Cironis contendit. Nunc autem is a Diocle subornatus mecum contendit. Qui Diocles quae machinaretur, altero statim die prodidit. Ego enim aes pactum Diocli daturus cum afferrem, noluit ille accipere, prae se ferens, ab hoc [competitore meo] sibi iam esse satisfactum. Nemo tamen ideo me prohibebat, quominus in curando Cironis funere praesto ipsis essem, sed rebus in omnibus operam cum illis communem nauabam, de meoque sumtus praebebam, hi autem de alieno. Nam neque hic [competitor meus] neque Diocles de suo erogabant, sed ex hereditate a Cirone relicta. Atqui, si Ciro auus mihi non erat, oportebat hunc ipsum quoque [competitorem meum] me extrudere, eliminare, a societate operae in pollingendo me arcere. Non enim eramus nos ambo conditione pares. Nam ego equidem eum sinebam [et poteram quoque saluo iure meo sinere] in aui funere curando mecum assiduum esse; quippe qui eius e sorore nepos esset; illius autem intererat, et decebat adeo eum, non pati, vt ego secum contumulandi Cironis operam participarem, si vera erant ea, quae nunc audent iactare. Verumenimuero tam erat rei veritate perculsus, vt ne tum quidem, cum ego e

ſuggeſtu verba faciens [in oratione parentali] de Diocle quererer, qui cum Cironis hereditate me ſpoliatum iret, tum hunc [competitorem] mihi immitteret litem ſuper hereditate mecum exorſurum; vt, inquam, hic competitor ne hiſcere quidem tum contra auderet, nedum vt ea proferret, quae nunc iactare nil eum pudet. Vera haec a me dici, quo conſtet, cita tu mihi teſtes. *Teſtis.* Vnde fas eſt fidem dictis adſtrui? ecquid vos ad credendum inducere debebit? non teſtimonia? arbitrer equidem. Vnde autem teſtium teſtimonio fides conſtabit? Non e quaeſitione ſeruorum per tormenta? Par id vtique eſt atque conſentaneum. Ecquid porro vos mouebit, vt horum [competitoris mei, et Dioclis atque conſortium] orationi diffidatis? Non hoc, quod adminiculis coarguitionis vti recuſarunt? Caret id quidem omni dubio. Qui ergo fiat, vt dilucidius quisquam doceat, Cironis filiam genuinam meam matrem eſſe, quam ſi doceat eo modo, quo ego docui? primum quidem, de rebus aetate patrum geſtis eos teſtes exhibens, qui affirmarent, ſe iſta a maioribus natu dudum defunctis audiſſe, ſibi narrantibus; tum de recentioribus teſtes producens adhuc ſuperſtites, qui, quibus de rebus teſtarentur, eas res omnes probe cognitas perſpectasque haberent, earumque bene eſſent conſcii, vt qui ſcirent matrem meam in domo Cironis pro filia educatam, bis cum dote elocatam, bis deſponſam; praeterea hos ipſos [aduerſarios meos] certiſſimam hiſce de rebus conuictionem ex ore ſeruorum defugientes, qui ſerui iſta omnia probe norant. Ego equidem, ita me dii ament Olympii, documenta maiora et luculentiora iis, quae attuli, haud habeo afferre; quamquam, quae attuli, ſatis ea fore arbitror idonea. Agedum, docebo iam nunc bona Cironis iure potiori atque propiori mihi competere, quam huic; quamquam vobis ipſis, iudices, vltro iam dudum

dudum hoc planum et perſpicuum arbitror eſſe, in gradibus conſanguinitatis non collaterales aliquem propius attingere, quam recta in linea deſcendeutes. Ecqui etiam ſecus ſit? Alteri enim modo ſunt συγγενεῖς, ſeu cognati alicuius, alteri vero ſunt et appellantur ἔκγονοι, ſeu ex eo nati. Verum quia rebus ita ſeſe habentibus, nihilominus tamen hi petere audent hereditatem, etiam e iure ciuili, et diligentius adhuc, docebo. Nam ſi mea mater, quae Cironis eſt filia, in viuis adhuc ſupereſſet, et Ciro decedens de hereditate ſua nihil conſtituiſſet, et hic [competitor] is non eſſet, qui eſt, Cironis e ſorore nepos, ſed eſſet, qui non eſt, Cironis frater, foret quidem penes eum, ſi vellet, mulierem [filiam Cironis] in matrimonio habere, at non ideo tamen bonorum Cironis foret compos. Nam illorum quidem nemo alius potiretur, quam liberi ex ipſo et filia Cironis nati, poſteaquam ſecundum a pubertate annum exceſſiſſent. Sic enim leges edicunt. Quodſi ergo hic [frater commentitius Cironis ſi eſſet,] muliere adhuc ſuperſtite potitus Cironis bonis non fuiſſet, tametſi filiam eius in matrimonium duxiſſet, ſed liberi eius ex illa muliere nati, paret, illa muliere viuis exemta, non illi [competitori meo] eiusque fratribus competere ius hereditatis Ciroueae adeundae, ſed nobis, quos illa liberos reliquit. Verum non ex hac ſola lege id eluceſcit, ſed ex alia quoque idem colligitur, illa inquam, quae poenas ſancit in liberos, qui parentes male, duriter, contumelioſe et crudeliter tractant. Auus enim ſi adhuc ſupereſſet, in rebus aduerſis, neceſſitatum vitae egens, non hic hoc e titulo parentum indignis modis acceptorum foret incuſabilis, ſed nos eſſemus. Sancit enim lex, parentes a liberis alendos eſſe, Sunt autem parentes, pater et mater, et auus cum auia, et horum item pater atque mater, ſi adhucdum ſuperſint. Hi enim

sunt principium stirpis, et eorum bona liberis atque nepotibus a legibus contribuuntur. Hac de causa necessario quoque illis incumbit cura eos alendi, etiamsi in facultatibus prorsus nihil relinquant. Qui igitur aequum sit, eos parentes si neglexerimus alere, a quibus facultatum nihil ad nos peruenerit, ideo nos culpabiles, animique erga parentes ingrati atque immemoris reos fieri; sin autem bona reliquerint, illorum bonorum heredem hunc esse, [in quo actio in liberos ingratos plane nullum locum habet,] nos excludi, [qui legis huius poenis obnoxii simus]? Nequaquam. Iuuat, iudices, ad gradum consanguinitatis vnum, sed illum principem, mente et oratione accedere, cum eoque articulum quemque stirpis seorsim conferre, et identidem vos interrogare, vter sit a defuncto propior, et hereditatis iure potior; an quicunque intra genus et prolem defuncti est, tametsi gradu quamuis remoto; an ille, qui in numero consanguineorum locum vel principem tenet. Sic enim facillimo negotio intelligetis. A Cirone, quoad gradum consanguinitatis, vter propius abest, filia, an frater? Filia vtique. Nam *ex* ipso nata est Cirone, frater autem solummodo *cum* Cirone natus est. At filiae liberi propiores ne sunt, an frater? Liberi filiae vtique Sunt enim *genus*, vel proles, non *cognatio*. Quodsi ergo fratre sumus potiores, quanto hunc magis antecedemus, qui non frater, sed sororis filius est? Verum vereor, ne nimis protrita proferens ego vobis molestus fiam. Omnes enim vos paternas, et si quae aliae adhuc anteriores sunt hereditates, aditis propinquitatem adepti ex genere inconteſtabilem atque incompetibilem, [h. e. ex titulo propinquitatis, quia eorum proximi estis, per sanguinis communionem; quo fit vt necesse non habeatis eiusmodi hereditatum aliquam in iure petere.] Et profecto nescio an nulli antehac huiusmodi certamen vnquam decertandum fuerit. Recita

cita tu legem de liberis parentes male habentibus; quo facto, vos docebo, iudices, quamobrem in huius certaminis moleſtiam coniectus fuerim. *Lex.* Cironi nimirum haec erant in facultatibus; praedium apud Phlyas facile talentum valens; tum duae domus in Vrbe, altera elocaticia, apud fanum Bacchi in Limnis, viginti minas valens; altera, quam ipſe incolebat, tredecim minas valens. praeterea mancipia mercedem ferentia, et duae ancillae, et vna puella, et ſupellex domeſtica, tuendae rei familiari neceſſaria. denique numorum erat haud parum foenori elocatum, vnde vſuras aufferebat. Bonis hiſce Diocles vna cum ſorore iamdudum inſidiatus eſt. id quod ex eo conſtat. Moriebantur ambo pueri, quos Ciron e ſorore Dioclis ſuſceperat. Potuerat itaque Diocles ſororem ſuam ſtatim a morte illorum puerorum a Cirone ablatam alii cuipiam nuptui collocare, qui ex ea liberos quaereret. Erat enim mulier ea tum aetate, vt potuiſſet adhuc ex alio parere. Ciron enim iam effoetus erat. Verum Diocles id facere noluit, idque ideo, quo Ciro de bonis ſuis ne quid conſtitueret, vxore alio elocata. Perſuaſit itaque Diocles ſorori, vt penes Cironem maneret, identidem cauſans, ex eo ſe grauidam eſſe, ſed abortum paſſam, at inuitam. Id quod eo faciebat, quo Ciron ex alio in aliud tempus vana lactatus ſpe nouae prolis adipiſcendae, neutrum noſtrum, [h. e. neque me, neque fratrem meum] filium adoptaret. Patrem quoque meum Diocles nunquam non malitioſis criminationibus inſectando, ſuſpectum Cironi inſeſtumque reddere ſtuduit, vt bonis eius inhiantem atque inſidiantem. Pecuniis quidem in foenus elocatis omnibus Cironem defraudauit, vſurisque inde redeuntibus, per blandimenta et lenocinia orationis, quibus etiam Cironi perſuaſit, vt bona ſua omnia, immobilia quidem, a Cirone adminiſtrari pateretur. Et profecto per-

perquam facile factu erat, vt hominem natu iam grandiorem ſtudiis et ſedulitate, otio eius atque commoditati inſeruiendi, irretiret. Et hoc modo bona Cironis omnia Diocles ſui iuris fecit. Gnarus autem, me aliquando eorum de iure futurum eſſe arbitrum, auo e viuis ſublato, non aditu quidem ad auum me excluſit, neque congreſſibus et conſuetudine eius me arcuit; metu, ne ira percitus ſimultates ſecum ſuſciperem; verumtamen aliquem mihi ſuſcitauit atque ſubornauit competitorem, cui operae praemium hereditatis partem promiſit milleſimam, ſi res ex animi ſui ſententia proſpere ſucceſſiſſet, totam ſibimet ipſi iam deſtinatione arrogans, et ſpe praecipiens. Et non ad me ſolummodo, ſed ne ad hunc quidem [competitorem meum] fatebatur auum in bonis quicquam reliquiſſe, ſed prorſus negabat quicquam ſupereſſe. Quam primum Ciron animam reddidiſſet, veſtem ei feralem ipſe comparauit, cuius pretium vt ego dependerem, mihi mandabat coram teſtibus, quorum ex ore ipſi audiuiſtis idem affirmantium. verum poſt, aes illud afferente me refundendum, ſimulabat ſe non poſſe id a me accipere; nam ab hoc [competitore meo] ſibi iam eſſe refuſum. Quibus malitioſis artibus et vafris commentis hoc agebat Diocles, vt latenter me de iure meo auum ſepeliendi detruderet, vt, non ego, ſed ipſe Cironem ſepeliiſſe videretur, [eoque ius hereditatis petendae adipiſceretur. defunctos enim non niſi proximi cognati atque heredes ſepeliebant.] Diocle itaque, de domo hac [in qua aetatem degit Ciro] et vniuerſis de bonis eius controuerſiam mihi mouente, atque negante, ab auo quicquam relictum eſſe, conſultum haud ducebam, per vim et armata manu corpus exanime aui ex illa domo in meam a me transferri. tempus enim id minus erat oportunum. Sinebam itaque corpus quidem illa in domo manere, praeſertim amicis hoc conſilium meum probantibus; verumtamen vna cum illis

illis [vxore aui, ipsoque Diocle, et competitore, ab hoc aduersus me subornato] funus aui curabam, et vna exsequias ibam. Sumtus e bonis ab auo relictis depromebantur. Haec ad hunc modum inuitus atque coactus agebam; quo tamen hac quoque in re me potiores ne essent, neque illis quicquam prodesset illa machina mihi structa, vt coram vobis iactaret me nihil ad funeris sumtus contulisse, de consilio iurisperiti, quem hac de re consultum ieram, de meo aere sumtus funeris erogaui, et nouemdialia sacra in tumulum intuli, quam lautissime atque apparatissime poteram; quo sacrilegium hoc ipsis exscinderem. [h. e. quo eriperem ipsis hunc praetextum hereditatis petendae, quod in Cironis funus erogassent sumtus; quo facto Deorum Manium religiones temeratae fuissent, atque sacrilegium commissum, in officium curandi funeris intrudentibus sese iis, qui, cum essent a cognatione defuncti alieni, non possent non Manibus eius molesti esse, eosque interturbare.] et quo hi ne viderentur omnia, ego autem nihil impendisse viderer, sed perinde ego impenderem, atque illi fecissent. Haec ferme sunt res gestae, et hae causae litium atque molestiarum inter nos coortarum. Verum aliis quoque in rebus, si noritis, iudices, quanta sit huius Dioclis cupiditas atque impudentia, nemo vestrum sit futurus, qui orationi meae fidem deneget. Pauca solummodo mihi liceto eius documenta commemorare. Tres erant sorores, non eodem quidem patre cum ipso, at eadem tamen matre editae. Has sorores Diocles hereditate a patre ipsis relicta fraudauit eo, quod affirmauit, ab ipsarum patre filium se atque heredem bonorum esse scriptum in testamento; quod ille nullum scripsisset; et sic furatus est splendidam, quae ei nunc est, substantiam. Et cum eius rei causa mariti duarum de his tribus sororibus, in iure eum persequentes, pecu-

nias

nias repoſcerent, alterum quidem, maioris natu ſororis maritum, ita laqueis captioſae iurisprudentiae forenſis irretiuit, vt tandem damnaretur, atque infamia notaretur; ipſe autem Diocles ab iſto actione contumeliae oblatae exagitatus, ei poenas nullas vnquam dedit. Sororis autem alterius, ab illa ſecundae, [ſeu mediae] maritum per ſeruum de medio ſuſtulit; quem ſeruum ex vrbe clam exportauit, et alio ablegauit, [ne per eius indicium tormentis ſubiecti ſuum ſcelus pateſceret.] Sceleris autem cauſam in ſororem ſuam retorquebat. Qua impuritate atque immanitate ſua cum eam perculiſſet, [vt illa perterrita deſiſteret vlteriore ſceleris quaeſitione atque vltione] factus tutor filii, quem illa peremto pepererat, hunc ſuum e ſorore nepotem Diocles bonis omnibus denudauit, fundos ei ademit vberes, eorumque loco alios in ſolo ſaxoſo ſitos dedit. Haec a me vera dici, teſtari poſſunt hi teſtes. Verum vereor, ne potentiam Dioclis reformidantes verum dicere nolint, quamquam alias eos noui libenter verum dicturos. Quodſi ergo hi citati parere atque teſtari recuſent, alios exhibebo, non minus probe haec omnia tenentes. Cita tu mihi hos primos. *Teſtes.* Homo itaque tam ferox et violentus, vt ipſas ſorores ſuas bonis paternis euerteret, eo, quod huius ſceleris poenas illis nullas dedit, cupiditatis atque audaciae proceſſit illuc, vt nunc in aui noſtri bona inuolatum, eaque nobis ereptum eat. Quod vt conſequeretur, hunc [competitorem meum] promiſſa, vt audio, duarum minarum mercede corruptum, induxit, vt mecum de hereditate nihil ad eum attinente contenderet. Quae contentio ſi exitum nobis aduerſum ſortiatur, in diſcrimen nos adducet, non ſubſtantiae modo, ſed ipſius adeo patriae amittendae. Nam ſi vos, huius mendaciis decepti, credatis ei neganti matrem noſtram ciuem fuiſſe, nos fratres pariter quoque ciues

ues non erimus, quippe post Euclidem Archontem nati. Videturne iam vobis Diocles leuem mihi litem mouisse? Et auo quidem, itemque patre nostro adhuc superstitibus, vitio carebamus omni. de iure ciuili nemo nobis controuersiam mouebat. Illis autem sublatis, tametsi hanc adeo causam vincamus, ignominia tamen hac laborabimus, quod de statu ciuili mota nobis fuisset controversia per hunc Orestem [furiosum] quem dii male perdant, qui quamquam moechus in adulterio deprehensus, ideoque passus ea sit, quae moechos in flagitio deprehensos pati mos et fas est, nihilo tamen ideo magis ab insana illa sua libidine matresfamilias corrumpendi desistit, de quo, qui eum norunt, eiusque conscii sunt flagitiorum. testari possunt. Verum de moribus, quorum attigisse parum quid in praesentia satis habeo, plura postmodum audietis, iudices, cum actionem in hunc ipsum Dioclem instituam. Nunc autem vos etiam atque etiam supplex rogo, nolitis committere, vt ea mihi iniungatur contumelia, bona ab auo relicta mihi vt eripiantur, sed succurrite mihi hoc discrimine circumsepto, quoad quisque vestrum pro sua virili parte potest. Documenta satis certa et valida habetis, a me prolata, e testimoniis testium, e confessionibus mancipiorum tormentis subiectorum, ipsis denique e legibus, quibus ex omnibus discatis, et liberos nos esse filiae Cironis legitimae atque genuinae, et nobis ideo potius hereditatem, quam his, competere; qui nepotes Cironis simus. Memores itaque iurisiurandi, vi cuius a vobis dicti sedetis ad iudicandum, argumentorumque a nobis prolatorum, legumque memores, pronuntiate hac in causa id, quod iustum et aequum est. Haud video, quid amplius afferre debeam. Non enim videmini de vllo eorum, quae dixi, adhuc incerti esse, aut id minus recte tenere. Cape tu testimonium hoc, quod vnum adhuc supereſt, et recita

ipsis,

ipsis, quo certi fiant, Dioclem hunc aliquando in adulterio deprensum fuisse. *Testimonium.*

ORATIO ISAEI OCTAVA.

quae est super Astyphili hereditate.

Veterinus erat mihi, iudices, frater Astyphilus, cuius fuit hereditas haec, de qua nunc contenditur. Is cum exercitu missus ad Mitylenam cum dignitate praefecti, diem ista in expeditione obiit supremum. Faciam nunc id, quod facturum in contraiuramento recepi, hoc est planum faciam, hunc Astyphilum neque aliquem sibi filium adoptasse, neque donasse bona sua cuiquam, neque testamentum a se scriptum reliquisse. Quapropter alii nemini conuenit Astyphili bona habere; quam mihi. Nam Cleon hic Astyphili consobrinus est, ita vt patres amborum fratres fuerint. Quo fit vt Cleonis filius, cuius filii sui ergo Cleon hic mecum contendit, Astyphilo a patre pro filio suffectus, Astyphili sit consobrini filius. Atqui Cleonis pater aliam in domum fuit emancipatus; qua in domo illi omnes [pater Cleonis puta, et Cleon ipse, cum filiis] adhuc sunt. Qua de causa non contingunt Astyphilum vi legis eos a consanguinitate excludentis. Conscii itaque ipsi sibi cum essent, hac ex parte nullum sibi ius in Astyphili bona esse, commenti sunt et subiecerunt testamentum id, quod ego me demonstraturum spero falsum esse, per quod eripere mihi atque extorquere conati sunt bona fratris mei, et vt pridem sperauit hic Cleon, ita adhucdum sperat, et tam firmiter sperat, neminem alium, praeterquam se, habiturum esse Astyphili bona, vt, quamprimum nuncius de morte Astyphili huc perferretur, quo tempore pater meus aeger decubabat, et ego in castris peregre agebam, hic Cleon in possessionem praedii ab Astyphilo

philo relicti, et si quid adhuc aliud ei fuisset, immigrarit, eaque omnia sui iactarit esse filii, vel antequam vos de successore in istam hereditatem decreuissetis. Et nihilominus tamen, vt huc perlata sunt Astyphili ossa, ille, qui se dudum pro adoptato eius filio gesserat, neque spectatum exposuit Astyphili corpus, neque humauit, sed amici Astyphili atque commilitones, videntes patrem meum aegrotantem, me autem vrbe absentem, ipsi et proposuerunt, et reliqua omnia iusta peregerunt, patremque meum, adhuc aegrum, ad tumulum Astyphili adduxerunt, certi, Manes Astyphili enm libenter atque gratanter esse admissuros. Huius rei vobis familiares Astyphili testes praestabo, quippe qui rei tum gestae interfuerunt. *Testes.* Astyphilum itaque a Cleone non esse humatum, neque ipse Cleon infitiabitur, et hi testes vobis confirmarunt. Vt autem ab expeditione militari redieram, cernens hos [Cleonem cum consortibus] possidere bona Astyphili, eorumque fructus percipere, audiensque ipse e Cleone, cum diceret, filium suum ab Astyphilo esse pro filio adoptatum, per testamentum, quod depositum esset penes [matris meae fratrem] Hieroclem Hephaestidam, statim ad hunc Hieroclem accedebam, bene quidem gnarus, Hieroclem Cleoni imprimis familiarem esse, verumtamen haud opinans eum ausurum esse mendacium de Astyphilo dicere, quasi egisset Astyphilus id, quod non egit, idque eo tempore dicere, quo Astyphilus, vtpote vita defunctus, iam non amplius posset Hieroclem mendacii coarguere; praesertim cum Hierocles meus vna atque Astyphili auunculus esset. Verumenimuero Hierocles, o iudices, nihil horum pensi habens, de testamento a me interrogatus, respondit, id penes se esse depositum ab ipso Astyphilo, in procinctu stante, cum classe Mitylenam proficiscendi, Hieroclem hac ad me vsum esse oratione, quo certio-

res fiant hi, recita tu ipsis hoc testimonium. *Testimonium.* Quoniam igitur, o iudices, nemo necessariorum Astyphili praesto fuit e vita excedenti, egoque tum in vrbe non fui, cum ossa eius huc referrentur, necesse mihi est ex horum ipsorum sermonibus, falsitatem huius testamenti, quod ab Astyphilo scriptum et relictum esse commenti sunt, coarguere. Est nempe consentaneum, Astyphilum non vni illi rei solummodo dedisse operam, vt aliquem sibi filium adoptatum relinqueret, sed vna hoc quoque acturum fuisse, vt, quae per testamentum constitueret, ea firma et rata essent, et, quem sibi filium adscisceret, vt is quoque facultatibus suis potiretur, ad arasque maiorum accederet, iisque vna sibique vita defuncto iusta et ritu vetusto consecrata faceret. Credere par est, haud fugisse Astyphilum, tum cum maxime fore vt haec omnia sibi et euenirent, et firma essent, si non sine necessariorum consilio atque conscientia testamentum conscriberet, sed adscitis potius, primum quidem necessariis, tum vero etiam phratoribus atque demotis, et denique reliquorum familiarium tot numero, quot modo cogere posset. Hoc enim facto futurum, siue quis ex titulo consanguinitatis, siue ex titulo legati, hereditatem eius peteret, vt is, si ius mentitum praetenderet, falsi quam facillime conuinceretur. Atqui constat inter omnes, Astyphilum horum omnium nihil egisse, neque amicorum illorum, quos modo dicebam similibus in negotiis ad dandum consilium atque ad testandum aduocari, vllum adhibuisse, cum testamentum illud, quod hi iactant, scriberet; nisi quis forsitan ab his subornatus, et mercede obstrictus, aiat se adfuisse. Ego vero contra, quos eiusmodi rebus atque temporibus adesse dixi solere atque debere illos omnes producam ad vos, iudices, testimonio suo confirmaturos, quae dixi, vera esse omnia. *Testes.* Forsitan

ſitan igitur Cleon negabit aequum eſſe, vt ſinatis pe-
nes vos vllum locum aut valorem eſſe argumentis a ſi-
lentio ductis. Derogabit auctoritatem omnem teſtibus
negantibus ſibi conſtare, ab Aſtyphilo ſcriptum vn-
quam fuiſſe teſtamentum. Ego vero contra cenſeo,
in eiusmodi cauſa, vbi quaeratur, ſcripſeritne Aſty-
philus teſtamentum, necne, et filiumne ſibi adopta-
rit, necne, teſtimonium noſtrorum teſtium, qui ſunt
Aſtyphili neceſſarii atque familiares, multo validius
eſſe debere, negantium ſe praeſto fuiſſe Aſtyphilo rem
ſummi momenti agenti, quam teſtimonium hominum
nulla neceſſitudine cum Aſtyphilo coniunctorum, tam-
etſi aiant ſe interfuiſſe. Et ipſum adeo quoque Cleo-
nem decebat, o iudices, hominem ſtultitiae fama pro-
fecto non laborantem, cum filium ipſius Aſtyphilus
adoptatum, eiusque rei cauſa teſtamentum ſcriptum
iret, quotquot noſſet Aſtyphili conſanguineos in vrbe
tum praeſentes, et alios quoscunque vllo modo vel
leuiter tantum Aſtyphilo notos, eoque vſos, eos omnes
aduocare, quo actui illi intereſſent. Nam profecto
nemo potuiſſet Aſtyphilum impedire, neque retinere,
quominus faceret, ſi cui voluiſſet bona ſua dono dare,
et Cleoni multum profuiſſet hoc argumentum, ab Aſty-
philo teſtamentum illud clam non fuiſſe ſcriptum.
Praeterea quoque, iudices, ſi Aſtyphilus conſilium
ſuum de Cleonis filio ſibi adoptando, et de teſtamen-
to ſcribendo celare omnes omnino voluiſſet, conſen-
taneum erat, illis in tabulis prorſus neminem teſtem
ſcribi. Quod ſi autem teſtes ſubſcripſere, eoque con-
ſtat, teſtamentum coram teſtibus ſcriptum eſſe, ſed
iis, non qui Aſtyphilo familiariter vſi ſunt, ſed obuiis
quibuſque et de triuio correptis, qui aequum ſit exiſti-
mare, teſtamentum illud vere ſcriptum ab Aſtyphilo fuiſ-
ſe? Nam ego equidem non autumo quemquam eſſe,
qui, volens filium ſibi adſciſcere, ita inconſulto agat,

vt alios illi actui teſtes et auctores aduocet, quam illos ipſos, quos pone ſe relicturus ſit ſacrorumque ciuiliumque iurium, quibus ipſe olim vſus ſit, ſui loco participes. Neque pudori debet quisquam ſibi ducere, ſi teſtes adhibeat eiuſmodi teſtamento quam plurimos, lege veniam cuique dante, cuicunque velit, bona ſua delegandi. Sed et tempus ſpectate, quo hi aiunt teſtamentum eſſe ſcriptum. In procinctu nempe ſcriptum aiunt eſſe expeditionis Mityleneae. Quod ſi verum eſt, conſtat Aſtyphilum futurorum fuiſſe praeſcium. Quamquam enim ſaepe verſatus eſt in caſtris, na primum quidem ad Corinthum, deinde in Theſſalia, tum Thebano bello interfuit, denique quocunque locorum mitti copias cerneret, eo ipſe quoque proficiſcebatur, partes agens lochagi [ſeu centurionis.] Nunquam tamen illorum temporum omnium teſtamentum condidit; in apparatu autem illius ad Mitylenam expeditionis condidit, ſcilicet. ſi his auctoribus credimus; quae expeditio non modo illi poſtrema fuit, ſed etiam in ea diem ſupremum obiit. Eccui iam veſtrum omnium credibile videatur, qui Aſtyphilus toties in caſtra proficiſcens, teſtamentum nullum condidiſſet, tametſi ſciret, ſibi perinde in illis omnibus expeditionibus fatalem neceſſitatem imminere, ei tum demum, neque citius, ſagacitatem mentis fuiſſe in proſpiciendis rerum futuris cum euentu fortunae tam conſentaneam? Nunquam antea de rerum ſuarum parte vel minima ſtans in procinctu conſtituerat. Iam vero voluntarius ibat in expeditionem, vnde vel maxime ſpes ipſi erat, vtpote voluntario, fore vt ſaluus inde domum rediret. Qui probabile eſt, et ei tum in mentem veniſſe, mox e portu ſoluturo, vt ſcriberet teſtamentum, et fatale quoque fuiſſe, vt domum non rediret? Verum adhuc luculentiora dabo, iudices, argumenta, quae certiores vos reddant, nil ſinceri

hoſce

hoſce comminiſci. Planum nempe vobis faciam, hominum omnium Aſtyphilo vnum fuiſſe Cleonem inimiciſſimum. Quod odium, iuſtis de cauſis ſuſceptum, fuit tantum, vt Aſtyphilus, ſi teſtamentum ſcribere voluiſſet, citius videatur ei clauſulam hanc adiuncturus fuiſſe, vt cum Cleone ne ſermones quidem conſereret cognatorum ſuorum quisquam, quam vt filium eius ſibi filium adſciuiſſet, atque heredem ſcripſiſſet. Thudippus enim, huius Cleonis pater, Aſtyphili patri mortem atrocitate verberum conſciuiſſe dicitur, quae verbera, iurgio ſuper hereditate cernenda inter illos oborto, pater Cleonis Aſtyphili patri inflixit. Tam immaniter Thudippus Euthycratem, Aſtyphili patrem, fertur tum commulcaſſe, vt in morbum incideret Euthycrates, a quo paucis diebus poſt ſublatus eſt. Vere haec a me dici, poſſent quidem Arapheniorum permulti teſtari, qui tum temporis fundos arabant, fundis horum fratrum, Euthycratis atque Thudippi, finitimos. Sed vereor ne vobis eos praeſtare diſertis verbis de re tanti momenti teſtantes minus poſſim. Hierocles enim ipſe, qui Aſtyphili teſtamentum penes ſe ait depoſitum eſſe, quamquam vidit, cum Euthycrates a fratre tam ſaeuiter vapularet, nolit tamen, id quod certiſſime noui, ea teſtari, quae ſi teſtetur, fidem omnem tabulis teſtamenti eius, quod ſuae fidei creditum vult eſſe, ipſe ſit derogaturus. At nihilominus tamen cita tu mihi Hieroclem, quo coram hoc iudicum confeſſu, ſiue aiat pro teſtimonio, ſiue iuratus infitietur, eorum, quae ego aio, ſe noſſe quicquam verum eſſe. *Teſtimonium.* Probe ſcilicet noram, iudices, ita eſſe euenturum, vt euenit. Eiusdem enim eſt hominis, et ea, quae vere facta norit, iurato infitiari, et quae facta nusquam ſint, ad ea iureiurandn confirmanda mendacem linguam offerre, haud ſecus ac ſi non facta certo ſciat facta eſſe. Aliunt

tamen vobis teſtem praeſtabo. Animam agitans Euthycrates ſeuere neceſſariis interdixit, ne quem e Thudippo natorum ad tumulum ſuum ſinerent accedere De quo vobis teſtabitur ille, qui auiam Aſtyphili in matrimonio habet. *Teſtimonium.* Aſtyphilus igitur, ex quo primum haec ex his [auia puta, et auiae marito, aliisque cum his coniunctis, vt e. c. eorum famulis] nec non e reliquis neceſſariis accepiſſet, ſtatim a puero, quam primum ſapere coepit, nunquam verba cum Cleone commutauit, ſed prius, quam id faceret, mortem oppetiit, nefas ſibi ducens fore, ſi cum filio patris eius colloqueretur, qui pater tam piacularis facinoris in patrem ſuum commiſſi inſimularetur. Teſtes ego nunc vobis exhibebo eos, qui conſcii ſunt, Aſtyphilum, quoad vixit, ſimultates cum Cleone exercuiſſe. *Teſtes.* Porro conſentaneum erat, ſi qui feſti dies agerentur, quo tempore alii Athenienſes inter ſe congredi atque coëpulari ſolent, Aſtyphilum quoque pari modo, per illos dies, quibus ipſe intereſſet, quoties nempe in Vrbe ageret, neque in caſtris verſaretur, alio cum nemine ad fana deorum ire, quam cum Cleone, quippe cuius, primum, municipalis eſſet, deinde conſobrinus, cuius denique filium ipſe ſibi eſſet adoptaturus. Verum nunquam viſus eſt Aſtyphilus Cleonem comitatus in templa communionis ergo ſacrorum; qua de re municipalium teſtimonia hic ſcriba vobis praeleget. *Teſtimonia.* Quamquam igitur ita erga ſe mutuo animati eſſent Aſtyphilus atque Cleon, poſtulat Cleo tamen nihilominus, filium ſuum Aſtyphili bona habere atque tenere. Quamquam Cleonem commemorare quid attinet? Ipſe Hierocles, tametſi meus eſt auunculus, quemadmodum Aſtyphili quoque fuit, tam furioſum tamen in modum audax eſt, vt teſtamentum, nunquam ſcriptum, aiat ab Aſtyphilo penes ſe depoſitum eſſe, idque pro genuino proferat.

Atqui

Atqui multis ornatus beneficiis, Hierocle, a patre meo, Theophrasto, cum res tibi adhuc esset, quam nunc est, arctior, item ab Astyphilo, malam hanc ambobus refers gratiam. Nam me quidem, qui tuae sum sororis filius e Theophrasto, cui plurimum debes, ea forte is fraudatum, quam leges mihi tribuunt. De Astyphilo autem, qui fato suo defunctus te iam refutare nequit, mendacia abs te conficta spargis, per quae contendis efficere, quantum in te quidem est, vt homines Astyphilo infestissimi bona eius fortiantur. Et ante quidem, o iudices, quam contentio super hac hereditate in foro susciperetur, tametsi bene nosset Hierocles, hanc hereditatem alii nemini, quam mihi, competere, tamen ad amicorum, qui Astyphilo olim fuissent, vnumquemque viritim adibat, alium ex alio, eique venditabat Astyphili hereditatem, aiens, si quis se vellet in communionem sortis admittere, paratum se esse, qui Astyphili auunculus esset, affirmare, penes se relictas esse, scriptas ab Astyphilo, testamenti tabulas, quibus ille scriptus esset heres. Hoc pacto nundinabatur Hierocles hanc causam, et ad hanc hereditarem petendam permouere studebat homines ab ea vel alienissimos. Et nihilominus tamen, postea quam cum Cleone decidit, atque cum eo fratris mei bona partitus est, fidem suis verbis adhiberi postulat. Hic homo mihi videtur vel iusiurandum ipsum, si quis deferat, libenter et nulla cunctatione dicturus; et mihi quidem, qui necessarius eius sim, vere facta, quorum conscius est, testari detractat, in mendaciis autem tuendis, quae ipse nouit mera mendacia esse, operam vendit homini vel alienissimo, et tabulas profert, quasi de rebus constitutis, quae res constitutae nunquam fuerunt. Multo enim sibi magis expedire censet, multoque in hoc acrius incumbendum, vt rem augeat, quam vt ea tueatur officia, quae meae debet consan-

guinitati. Hieroclem autem circumcursitantem operam suam in proferendo testamento commenticio venditasse, si quis ipsum in partem hereditatis adscisceret vellet, de eo testimonium illius ipsius exhibebo, ad quem cum eiusmodi sponsione adiit. *Testimonium.* Ecquo nomine iam, iudices, oportebit eum appellari, qui sui compendii gratia de homine mortuo tam falsa comminisci et iactare sustineat? Hieroclem autem ne Cleoni quidem gratuitam, sed mercenariam praestitisse operam in proferendo testamento commenticio, documentum eius rei haud contemnendum praestare poterit hoc ipsum testimonium. Haec autem communicatis inter se consiliis aduersus me machinati sunt. Existimat enim eorum vnusquisque, de bonis Astyphili si quid decerpserit, id perinde se ex insperato praeterque meritum suum, praeterque ius et fas esse habiturum, ac si thesaurum in via publica iacentem reperisset. Testamentum itaque hoc confictum esse, et Cleonem atque Hieroclem vos circumuentum ire, quoad potui, demonstratum dedi. Iam vero hoc quoque docebo, etiamsi nulla Astyphilum necessitudine contingerem, multo tamen mihi ius esse validius atque praepollentius, quam his est, Astyphili bona possidendi. Theophrastus enim, pater meus, matrem meam in domum suam inducens, ab illius fratre, hoc Hierocle, sibi desponsam, vna cum ea Astyphilum quoque domi suae recepit, tum temporis adhuc paruulum, a priore suae vxoris marito procreatum. Abeo inde tempore semper domi nostrae altus et versatus est Astyphilus, et a patre meo puerilibus artibus innutritus. Vt autem ego natus sui, eamque adeptus aetatem vt capere possem doctrinam, vna cum Astyphilo eodem in ludo sum eruditus. Qua de re confirmans hoc testimonium cape tu mihi atque recita, tum alterum istud magistrorum, ad quorum ludos ambo nos

vna

vna itauimus. *Teſtimonia.* Porro praedium illud, quod ille a patre ſuo habebat, iudices, pater meus et ſatis et arboribus plantatis excoluit, effecitque, vt duplo pluris valeret, quam primitus valuiſſet. Etiam hac de re vos huc aſcendite, qui mihi teſtemini. *Teſtes.* Poſtquam deinde Aſtyphilus ſcrutinio aetatis apud Archontem tolerato probatus, dignus fuit habitus atque idoneus gerendae ſuae ipſius tutelae, patrimonium a ſuo patre ſibi relictum, a meo traditum accepit ſaluum atque integrum rite legitimeque, ita vt Aſtyphilus ideo nunquam cum patre meo queſtus ſit. Poſtmodum ſororem Aſtyphili, eodem patre cum ipſo vſam, [h. e. Euthycrate,] deſpondebat meus pater ei viro, qui ei videbatur idoneus eſſe, et in reliquis quoque partibus rei familiaris gubernandae omnibus praeſto ei fuit. Quae omnia Aſtyphilus rata et accepta ſibi habuit, exiſtimans, beneuolentiae, qua pater meus ſe amplecteretur, ſatis perſpicuum cepiſſe documentum eo, quod pater meus ſe a puero inde educaſſet domi ſuae, et in ſinu ſuo. Illa vero de filiae Euthycratis deſponſatione a patre meo facta, hi, qui conſcii ſunt, vobis teſtabuntur. *Teſtes.* Deorum porro ad fana quoties pater meus iret, Aſtyphilum quoque adhuc puerum vna mecum adduxit. Etiam in thiaſos [vel collegia] Herculis eum introduxit, quo participaret illam communionem. Cuius rei teſtes vobis ſunto hi thiaſotae [ſeu coëpulones.] *Teſtes.* Ego vero ipſe quo erga fratrem animo fuerim, et qualem me erga eum geſſerim, id iam ſpectate, iudices. Primum quidem eadem in domo cum illo educatus adoleui; deinde ſimultates cum eo nunquam exercui, ſed mutua nos caritate amplectebamur. Id quod amici atque neceſſarii noſtri omnes norunt, quos vobis teſtes exhibebo; iuſſos hunc in ſuggeſtum aſcendere. *Teſtes.* Iam interrogo vos, iudices, videturne vobis Aſtyphilus, qui Cleonem ita odiſſet, meoque a patre tantis eſſet meritis obſtrictus, vnquam commiſſurus

fuisse, vt inimicorum suorum cuiusquam filium sibi filium arrogaret, eique bona sua delegaret, eoque sospitatores suos, eosdemque proximos necessarios iure debito fraudaret? Mihi equidem profecto non videtur Astyphilus tantum nefas commissurus fuisse, etiamsi decies Hierocles aiat testamentum penes se esse ab Astyphilo scriptum. Ego contra aio, cum propterea, quod Astyphili frater sim, tum quod Astyphilus alias quoque mihi fuerit amicissimus atque coniunctissimus, hereditatem Astyphili maiori iure mihi competere, quam Cleonis filio. Nam hos certe non decebat partem vllam bonorum Astyphili, aut cum eo necessitudinem sibi arrogare, qui tam infesto erga eum fuissent animo, cum adhuc superesset, et ossa defuncti legere, iustaque ei facere nil curarint, sed prius in eius bona inuolarint, quam religioni Manium satisfeciissent. Et nunc petunt Astyphili hereditatem, non solum ex titulo praetensae donationis, factae per testamentum a se subiectum, sed etiam ex titulo cognationis, Cleonem aientes Astyphili consobrinum esse a parte patris. [h. e. amborum patres fratres fuisse.] Verum haud decet vos, iudices, ad cognationem ab eo proditam attendere. Nemo enim fuit vnquam, qui, cum esset e domo patris sui alienam in domum emancipatus, hereditatem illius domus adisset, vnde esset emancipatus, nisi postquam ex formula iuris in illam suam primigeniam domum rediisset. Atqui hi [necessarii Astyphili] bene gnari Cleonis filium ab Astyphilo nunquam fuisse adoptatum, filio huic Cleonis nunquam portionem extorum [in Apaturiis] contribuerunt, tametsi saepius venienti, particulam suam ab iis [vt cognatis] flagitatum. Cape tu mihi hoc quoque testimonium hac de re confirmaturum. *Testimonium.* Iam diligenter pensitatis in vtramque partem momentis pronuntiate, iudices, de nostrum vnoquoque sententiam ex

iis ipsis, quae vnusquisque in contraiuramento a se praestito affirmauit. Cleo nimirum filium ait suum ab Astyphilo esse adoptatum, heredemque bonorum dictum. Ego vero merum hoc aio esse mendacium, mihique soli bona Astyphili omnia competere, qui sum eius frater; id quod etiam hi [Cleon et eius consortes] norunt. Adoptationem illam itaque, viri, ratam sententia vestra, quaeso, ne facite, quam facere Astyphilo adhuc superstiti ne in mentem quidem venit; sed operam date, quas leges ipsi vosmet curastis huic ciuitati praescribendas, atque tuemini, vt eae mihi quoque ratae sint atque validae. Nam e legum praescripto hanc ego mihi arrogo hereditatem, obtestorque vos, quae est obtestatio omnium iustissima, atque sanctissima, vt heredem me bonorum fratris constituatis. Demonstratum enim vobis dedi, Astyphilum bona sua nemini legasse, et quaecunque affirmaui, eorum omnium testes exhibui auctores graues atque idoneos. Quapropter tuemini me atque succurite mihi periclitanti. Facundia si Cleon mihi praestat, facite ne quid ei haec facundia prosit, a legibus et ab aequo iure deserta. Vosmet ipsos rerum omnium arbitros constituite. Nam ob hoc ipsum in tribunalia congredimini, quo ferocibus atque audacibus impudentia ne quid prosit, sed indisertiores quoque de iure contendere audeant, probe gnari, alii nulli rei, quam aequo iuri aequa lance dispensando, vos auimum attendere. Mecum itaque, iudices, estote, quaeso, considerantes, quot et quanta sitis mala creaturi, si secundum Cleonem litem dederitis, ab eo delusi. Primum enim, id facientes, efficiatis, vt qui Astyphilo adhuc superstiti infestissimi fuerunt, et quos ille omnium dirissime abhorrebat, hi ad tumulos eiusque maiorumque accedant, et sacra participent, quorum ille quondam consors fuit. Deinde cogatis me mandata, ab Eu-

thycrate moribundo, priusquam exspiraret, seuere nobis iuncta migrare. Denique defuncto Astyphilo hanc inuratis maculam, vt stultitiae eum damnetis, dignumque declaretis sententia vestra, quem homines omnes furiosum aiant fuisse. Eius enim filium si sibi adoptarit, qui patri suo fuisset inimicissimus, ecqui faciat, quominus audientium cuique despuisse videatur, aut mentem habuisse malis herbis fascinatam? Tandem me quoque, viri, qui eadem in domo eademque disciplina, qua Astyphilus, sim educatus, eiusque sim frater, patiamini bonis fratris a Cleone spoliari. Quare vos etiam atque etiam rogo, iudices, atque supplico, litem vt secundum me quoquomodo detis. Ita enim cum Astyphilo gratificabimini, tum a me quoque iniuriam arcebitis.

ISAEI ORATIO NONA,

de Aristarchi hereditate agens.

Vellem equidem, iudices, quemadmodum Xenocrates hic diserte nouit atque confidenter mendacia iactare, ita me quoque facundum esse, vt coram vobis veritatem causae meae cum fiducia et linguae libertate atque volubilitate enarrare vobisque approbare possem. Hoc enim si mihi datum sit, confido statim vobis liquidum fore, vtrum nos ad huius sortis petitionem per nefas accedamus, an hi [aduersarii nostri] bona dudum per nefas rapta et adhuc possessa diutius retinere, legitimosque eorum dominos excludere contendant. Iam vero non aequo fumus loco constituti, iudices. Nam hi quidem et facundia pollent, et amicitiis fidunt, quas sibi comparare multasque norunt et potentes, vt vel pro aliis quoque persaepe in iudiciis contendant. Ego vero tantum absum, vt alienam causam vllam vnquam egerim, vt potius ne pro memet ipso

ipso quidem causam vllam, non modo publicam, sed ne priuatam quidem, dixerim. Quapropter aequum sit, magnam mihi veniam apud vos esse paratam. Nam propterea, iudices, quod ab his ius mihi debitum exigere nequeo, coactus fui in examine matrem meam profiteri sororem Aristarchi, atque sic nomen eius a scriba publicas in tabulas referri. Nihilo tamen ideo causa haec vobis erit ad disceptandum impeditior. Sed hoc nunc agitur, hoc nunc e legibus est definiendum, vtrum Aristarcho ius et facultas fuerit, huic [Xenocrati iuniori, filio Cyronidis] bona legandi, et vtrum haec bona Aristarchi fuerint, an aliena. et ab ipso per nefas vsurpata. Aequum est, iudices, ante omnia hoc de capite constitui. Nam lex quidem acultatem cuique dat bona sua cuicunque velit legandi, sed sua, non item aliena. Nam alienorum lex hominem nullum facit arbitrum. Quodsi ergo me secundis auribus audire velitis, ante omnia vos hoc de loco certiores faciam, nitarque vos docere, hereditatem hanc a principio non horum fuisse, [quibuscum nunc super ea contendo] sed fuisse matris meae, a patre ipsi relictam, deinde Aristarchum eam, nulla lege addicente, sed legibus omnibus inuitis atque reclamantibus, eripuisse, eoque enormem iniuriam, et reliquis nostris necessariis, et inprimis matri meae, obtulisse. Vnde autem vos rem liquidissime percepturi videmini, inde ego quoque docendi sumam exordium. Aristarchus quidam erat, iudices, Sypalletius, qui Xenaeneti Acharnensis filiam cum domum duxisset, ex ea quatuor liberos suscepit, Cyronidem et Democharem, cum duabus filiabus, quarum altera fuit mater mea. Cyronides, qui pater est huius [Xenaeneti] et alterius [Aristarchi] qui sortem hanc per nefas occupauerat, aliam in domum emancipatus est; quo factum est, vt ius omne in hanc hereditatem amiserit. Democharesitaque

que factus est heres patrimonii, Aristarcho, qui pater horum quatuor liberorum erat, vita defuncto. Quoniam vero Demochares adhuc infans moriebatur, necnon altera soror, sola relicta fuit mea mater vniuersae heres substantiae, sed sic, vt controuersum esset, quis eam in matrimonio habere, et ad liberos ex ea procreandos auitam hereditatem transferre deberet. Ad hunc modum a principio sors haec vniuersa de iure meae matris erat. Verum, cum oportuisset proximum cognatum eam in matrimonio habere, vnaque cum ea tuendum adipisci patrimonium eius, iniuriam accepit mater mea, iudices, atrocissimam atque indignissimam. Erat nempe matri meae patruus, Aristomenes, frater illius Aristarchi. Huic Aristomeni cum et filius esset vna cum filia, potuissetque ideo siue ipse sibi habere sui fratris filiam, heredem, siue filio suo eam collocare, atque prouidere, vt illi, filio suo, illa sua neptis per iudicum sententiam legitime adiudicaretur, neutrum horum fecit, sed filiam suam Cyronidi despondit, vnaque ei bona addidit, quorum ius nemini competebat, praeterquam matri meae. Ex illa Aristomenis filia et Cyronide nati sunt hic Xenaenetus, adhuc superstes, et Aristarchus vita defunctus. Haec est iniuria, iudices, nobis data, et hoc pacto fraudatus sum hereditate. Post id factum Aristomenes matrem meam meo patri collocat. Cyronide postmodum vita defuncto, Xenaeneti huius fratrem Aristarchum in sortem matri meae debitam immittunt; id quod praeter ius et fas esse factum multis ego magnisque documentis euictum dabo. Sed ante omnia teste producam confirmaturos, Cyronidem e domo patris sui Aristarchi in domum Xenaeneti, [qui ei auus maternus erat,] emancipatum fuisse, in eaque domo Xenaeneti diem supremum obisse; deinde Aristarchum [maiorem] a quo profecta sors haec est, super qua

nunc

nunc contenditur, prius e rebus humanis excessisse, quam Democharem. Quo hereditas eius ad hunc Democharem deuenit. Verum hic Demochares adhuc puer decessit, nec non altera soror. quo factum, vt tota sors in ius matris meae deuenerit. Harum itaque rerum cita tu mihi testes. *Testes.* Sors igitur istaec, de qua nunc agitur, hoc pacto nostra erat, iudices, Cyronide in domum Xenaeneti emancipato, Aristarcho autem, patre Democharetis, vita defuncto, et sic ad Democharetem deuoluta eius hereditate, hoc ipso autem Democharete denique exstincto, cuius excessu deuenit hereditas ad matrem meam, vt solam relictam Democharetis sororem. Quoniam vero hi vltra modum impudentes sunt, o iudices, et contra ius et fas bona [in controuersiam adducta] tenere contendunt, docendi mihi estis, legibus prorsus omnibus repugnantibus Aristarchum [minorem] in illius [maioris] phratoras inductum fuisse. De quo vbi certi fueritis facti, liquidum vobis protinus erit, habenti bona titulo haud legitimo non licuisse iisdem de bonis per testamentum constituere. Arbitror itaque vos cunctos, viri, hoc nosse, delegationum atque adoptationum per testamentum factarum eas solummodo legitimas atque probabiles esse; quae ab ipsis delegantibus bona sua, atque adoptantibus [non autem eorum loco atque nomine ab aliis] factae sint. Nam aliter neque legare bona, neque pro filio adoptare licet. Siue igitur dicet aliquis Aristarchum [seniorem] de bonis suis per testamentum constituisse, affirmabit is veritati repugnantia. Alius enim erat Aristarcho filius legitime natus, Democharis; quo fit, vt neque voluisse videatur Aristarchus in fraudem huius filii sui testamentum condere; neque, etiamsi voluerit, potuerit alii cuipiam bona sua delegare, legibus id vetantibus. Sin autem Aristarcho [seniore] defuncto, a Democharete aiat aliquis

quis eum [Ariſtarchum iuniorem] in locum filii adoptatum eſſe, etiam hoc mentietur. Democharesenim adhuc puer deceſſit, et puero negatum eſt de bonis ſuis per teſtamentum conſtituere. Lex enim vetat, diſertis verbis his edicens: Puero ne liceto cum quoquam contrahere, neque mulieri, vltra ſingulos medimnos frumenti. Atqui teſtes exhibiti vobis confirmarunt, Ariſtarchum [ſeniorem] ante Democharetem rebus humanis exceſſiſſe, et hunc aliquanto poſt patrem. Quapropter vel ſecundum ipſum eorum teſtamentum, [ſi quod ſcripſiſſent,] quamquam nullum ſcripſerunt, huic Ariſtarcho ius in iſtorum bona nullum competeret. Recita tu mihi leges, vtrique eorum, [tam patri, quam filio] poteſtatem de bonis ſuis conſtituendi denegantes. *Leges.* At aient forſitan, Cyronidem in Ariſtarchi [ſenioris] hereditatem Ariſtarchum iuniorem immiſſiſſe, et hunc illi filium ſuffeciſſe. Atqui non licebat hoc Cyronidi facere, qui dudum ex Ariſtarchi domo exceſſiſſet, et in domum Xenaeneti tranſiſſet. Poterat ille quidem, relicto in Xenaeneti domo filio genuino, in domum paternam redire, atque ipſe Democharetis hereditatem adire. Quamdiu autem in domo Xenaeneti maneret, [in qua, quoad vixit, perpetuo manſit,] non licebat ei filium illam in domum, vnde exceſſerat, inferre. Aut, ſi aiant tamen id ab eo factum eſſe, proferant legem, eius rei veniam ipſi dantem. Verumenimuero, non aiunt quidem iſtaec, at ex ipſis tamen eorum cauſationibus atque praetenſionibus, quas reuera iactant, adhuc dilucidius vobis conſtabit eos bona, quae de iure matris meae ſunt, inuitis legibus, et ſummum per flagitium vſurpare atque retinere. Fingamus, iudices, alterutrum matrem meam in matrimonio habuiſſe, ſiue Ariſtomenem, ſiue filium eius Apollodorum. Nam illis duobus competebat de iure, a iudicibus veniam eius

domum

domum ducendae petere, atque operam dare vt ea sibi a iudicibus adiudicaretur. Quid tum? Ne his ipsis quidem licuisset matris meae bona alii donare de iisue pro arbitratu suo constituere. Lex enim non sinit, interdicens, bonorum mulieris, cui potestas hereditatis sit, arbitrum quemquam alium esse, praeterquam filios eius, secundum a pubertate annum egressos. Mirum itaque sit, si cui marito matris meae, siue is Aristomenes, siue Apollodorus fuisset, non licuisset de bonis matris pro lubitu disponere, eidem tamen liceret, vbi eam alii in matrimonium elocasset, in eius bona filium suum pro adoptato immittere! Res atrox vtique ea foret atque indigna. Et ne patri quidem matris meae licuisset, si prole mascula caruisset, in fraudem filiae testamentum facere; lex enim sic edicit, si cui patri mares nulli sint, ei licere bona sua, cui velit, legare, dummodo is, cui leget, filiam quoque eius in matrimonium ducat; alii autem, qui neque pater sit, neque dignam habuerit, quam in matrimonium duceret, sed solummodo consobrinus sit, licebit filium suum contra omne ius et fas in eius bona immittere? et haec ei acta rata et legitima erunt? Eccui vestrum omnium istaec probabuntur? Ego equidem hoc certissime teneo, neque Xenaenetum, neque alium quemquam docere posse, hereditatem hanc ad matrem meam nil quicquam pertinere, quam ei frater Democharis reliquit. Quodsi tamen nihilominus contra audeant hiscere, iubete illos et legem illam edere, secundum quam facta sit Aristarchi [iunioris] adoptatio, et eum nominare, qui adoptauit. Aequum enim id est. Atqui probe noui, eos non facturos, neque posse facere. De his itaque, quod hereditas haec matri meae de iure competat, et a principio inde eius fuerit, et quod mater mea per summum nefas eius vsucapione ab his exclusa sit, arbitror me satis disputasse, atque planam

euictamque rem dediſſe, cum per ea, quae diſputaui, tum per affirmationes teſtium, et denique per leguni ſanctiones. Verum hi ipſi [aduerſarii mei] ſibi conſcii ſunt, a ſe bona haec per neſas teneri, et iniuſtitia ipſis ſua tam eſt liquida et perſpicua, vt, tutum non arbitrantes ſe ſolo illo niti argumento, quod Ariſtarchus legitime adoptatus ſit, etiam adhuc aliud ſibi praeſidium circumſpiciant. Patrem ſcilicet aiunt ſuum huius hereditatis ergo mulctam in foro irrogatam de peculio ſuo dependiſſe. Quo perfugio hoc nempe quaerunt, vt ſi ſatis firmum praeſidium in adoptatione Ariſtarchi minus ſit, neque hactenus videantur bona noſtra iure optimo tenere, ſaltim tamen ex altero illo titulo aeris depenſi ius aliquale hereditatem illam pro arrha quaſi retinendi ipſis acceſſiſſe videatur. Ego vero, iudices, etiam hoc eos mentiri, planum vobis faciam. Nam ſi ſors haec aere alieno oppreſſa fuiſſet, quam aiunt fuiſſe, non hi profecto pro illa ſorte luiſſent de ſuo. Neque enim competebat hoc ipſis, ſed illis, quibus ius et poteſtas erat, matrem meam, vt virginem heredem factam, ſibi in matrimonium depoſcendi, eiusque adiudicationem a iudicibus impetrandi. Hos oportebat de alieno aere reluendo prouidere. Neque profecto Ariſtarchum in eiusmodi ſortem obaeratam immiſiſſent, a qua emolumentum quidem ablaturi erant nullum, damna autem ingentia. Alii quidem, quibus res domeſtica peſſum ierit, operam dant, vt liberi ſui alienas in domos emancipentur, vt exſortes infamiae fiant eius, qua patres perculſi fuiſſent. Hi autem, ſcilicet, in ſubſtantiam obaeratam vltro ſemet ingerunt, vt non ſolum alienis debitis ſatisfaciant, ſed etiam bona ipſi ſua perdant. Alia omnia. Nolite credere, iudices. Nugae hae ſunt et praeſtigiae. Sors haec aeris alieni erat exſors, et ſoli matri meae de iure competebat. Hi autem, a cupiditate ſua ſtimulati, numos

numos et opes coaceruare gestiente, haec omnia sibi commenti et machinati sunt, quo matrem meam iure bonisque suis defraudarent. Erit forsitan in numero vestro, iudices, qui miretur, cur bonis nostris per tam longinquum temporis spatium excluſi, tacuerimus, et nunc demum ea postulatum veniamus. Ego vero aequum haud censeo esse, nos ideo causa cadere, aut iura nobis nostra imminui, quod ea exsequi ad hoc diei aut non potuerimus, aut insuper habuerimus. Non enim hoc in censum venit, quum diu passus sis iura tua interquiescere, sed hoc agitur, aequum ne sit id, quod tu postules, necne. Verum enim vero, ne huius quidem cessationis causa nobis deest, sed habemus allegare idoneam. Pater nempe meus ea lege sibi desponderi matrem meam passus fuerat, vt contentus esset dote illi addenda, ipsam hereditatem ne peteret. Sed illam ipsam dotem nullo pacto poterat ab illis redigere, qui hereditatis huius emolumenta percipiebant. Quamuis enim mater eum saepius stimularet, vt ab iis repetitum iret, hi tamen, quoties pater huius rei mentionem ad se faceret, minabantur, se vxorem ipsius, vt filiam heredem, in iure sibi esse postulaturos, si nollet eam sub conditione dotis habere. Pater itaque, ne matre priuaretur, siuit eos bonorum vsum fructum percipere, etiam si duplo ampliora fuissent. Hanc ob causam pater tam diu cessauit vxoris iura in foro prosequi. Postmodum interuenis bellum Corinthiacum, in quo egoque paterque militauimus necessario. Quo factum est, vt vtrique nostrum poenas ab his meritas repetere negatum esset. Pace autem restituta hoc mihi contigit infortunium, vt aerarius fierem reipublicae. Quapropter cum iis in iure agere non licebat. Habuimus itaque, vt nunc videtis, causas nostrae cessationis legitimas. Nunc autem tandem aliquando iustum et oportunum est,

hunc [Xenaenetum] dicere, quisnam ei hanc hereditatem legarit? et quarum legum ex auctoritate in collegium phratorum [Aristarchi] inductus sit, et cur mater mea non fuerit filia a patre cum hereditate relicta. Haec enim sunt illa capita, de quibus vos oportet, iudices, pronuntiare, non tempore moueri, si forte nos aliquanto serius iura nostra exsequimur. Sin autem ad illa tria capita, in quibus controuersiae cardo vertitur, respondere, et, quae demonstrari postulo, ea demonstrata dare nequeant; iure merito vos pronuntietis, iudices, hereditatem nostram esse. Probe autem noui, quae postulo, ea praestare, negatum his esse. Difficile enim est, legum edictis et aequo iuri repugnare. At verba de defuncto [Aristarcho iuniore] facient, oratione ad ciendam composita miserationem, quam fortis vir et quam in bello acer et strenuus occubuerit, et quam sit aequum, ab eo per testamentum constituta rata et firma esse. Ego vero, iudices, cum ipsemet aio testamentum esse debere ratum et validum illud, quo quis de bonis suis constituerit, tum rursus nego debere illorum haberi rationem testamentorum, quibus aliena bona dilargiri, qui scribant, praesumant. Nego huic testamentorum generi perinde vim vllam atque auctoritatem esse, atque est alteri illi priori generi. Iam haec hereditas, de qua nunc agitur, vt nunc paret, non horum, sed nostra est. Quod si ergo ad hanc latebram excusationis receptum habuerit [Xenaenetus,] testiumque auctoritate planum faciat, Aristarchum testamentum reliquisse, quo ipse sit heres bonorum Aristarchi [senioris] scriptus, iubete eum docere, Aristarcho disponendi potestatem fuisse, eumque de bonis, quae ipsius propria et legitime parta essent, disposuisse. Id enim iustum et aequum est. Graue enim foret, neque ferendum, si Cyronides, et hi ex eo nati, non solum Xenaeneti [senioris] domum habe-

habeant, [h. e. ſubſtantiam] quatuor talentis et vltra aeſtimatam, ſed hanc Ariſtarchi quoque, ceu mantiſſam, aufferant; ego vero matris meae hereditatem adire prohibear, quam in hereditatem matri meae ius eſt optimum atque luculentiſſimum, quippe quae ſit ab eodem patre oriunda, vnde ſunt Cyronides et ab eo nati; praeſertim cum docere hi nequeant, a quonam acceperint iſtaec, quae tam diu vſurpant, bona. Atqui, iudices, quemadmodum par eſt, orta de fundis controuerſia, poſſeſſorem illorum fundorum demonſtrare, ſiue eum, a quo illos oppigneratos habeat, ſiue eum, a quo emerit, aut, alterutrum ni fecerit, pati fundos iudicum ſententia ſibi abiudicari, et cauſa ſe cadere: ita hos quoque decebat, ex aliquo horum titulorum iſtaec bona ſibi a iudicibus adiudicanda curare, non autem, indicta cauſa, et nondum adeo in forum delata, filiam Ariſtarchi, quae mea mater eſt, e bonis paternis expellere. Verumenimuero Xenaeneto ſatis non eſt, iudices, Ariſtomenis ſubſtantiam ſcelerata prodigalitate in nefandos puerorum amores exhauſiſſe, verum hanc quoque Ariſtarchi ſubſtantiam vt pari cum dedecore prodigat, ſe decere cenſet. Ego vero, iudices, honeſte nunquam non, pudiceque atque frugaliter vixi. Ex anguſta re familiari, ſororem tamen elocaui, cum dote, quam ei addere facultates ſinebant. Modeſtum atque temperantem me ſemper exhibui. Imperata exſequor. in caſtris ſtipendia facio. Quorum in compenſationem, vt ciuis frugi atque probabilis, poſtulo, vos hoc mihi ius concedere, vt matris meae ſubſtantiam mihi per vim et nefas eripi ne ſinatis. Demonſtraui enim, Cyronidem, qui horum [aduerſariorum meorum] pater eſt, ex Ariſtarchi, patris ſui, domo fuiſſe emancipatum, in eamque non rediſſe; tum demonſtraui, patrem Cyronidis atque matris meae hereditatem ſuam alteri filio, Demochareti, re-

liquisse, illoque Democharete sine prole defuncto, hereditatem eius ad sororem, quae est mea mater, iure optimo fuisse deuolutam.

ISAEI ORATIO DECIMA,

agens de Hagniae hereditate.

Leges ideo recitaui, iudices, quoniam [aduersarius] per primam earum assueuerat, puero [Stratoclis filio] semissem bonorum ab Hagnia relictorum competere; in quo veritatem haud habet sibi consentientem. Hagnias enim frater nobis non erat. Lex autem illa, quae de bonis a fratre relictis constituit, primum illis fratribus atque fratrum liberis adiudicat bona, qui fratres ab eodem patre procreati sint, atque defunctus. Hic enim primus est atque proximus consanguinitatis a defuncto gradus. Sin autem neque fratres adsint, neque fratrum liberi, lex sorores eas, earumque liberos ad hereditatem adeundam arcessit, quibus sororibus idem pater cum defuncto fuerit communis. Deficientibus his quoque, tum demum lex tertio gradui consanguinitatis tribuit proximitatem, [h. e. ius in iura et bona defuncti ex titulo consanguinitatis succedendi] consobrinis puta ex parte patris [h. e. liberis eorum patrum, qui patres fuerint fratres illius patris, a quo procreatus fuit defunctus, cuius hereditas vacuata est.] et horum consobrinorum liberis; non vlterius. Sin autem hic quoque gradus consanguinitatis defecerit, rursus redit legislator ad principium generis, et arbitros bonorum relictorum facit defuncti consobrinos a parte materna, eodem ordine, quem modo in consanguineis paternis recensui, vt scilicet heredes defuncti fiant fratres cum liberis, tum sorores cum liberis, qui fratres et quae sorores eadem quidem matre, verum diuerso patre fuissent vsi

vsae-

vsaeue, et tandem si qui et si quae supersint eiusmodi matris fratresue sororesue, aut eorum earumue liberi. Propinquitates hasce solas dat legislator, [h. e. admittit ratasque vult esse] verbis ille quidem vtens breuioribus atque rotundioribus, quam ego, verum id, quod dico, voluit. Puero autem huic ex horum omnium, quos commemoraui, titulorum nullo est cum Hagnia propinquitas, sed est extra eius cognationem. Quo autem certius atque liquidius intelligatis eam rem, de qua iudicium estis laturi, dicito hic [aduersarius meus] omissis omnibus verborum ambagibus, quodnam nomen eorum omnium nominum, quae commemoraui paulo ante, huic puero conueniat, quo deprehendatur cum defuncto, vnde hereditas profecta est, coniunctus in sanguine esse. Quod si vel ex vno quopiam horum titulorum appareat defunctum ab hoc puero contingi, lubens ego ipsi de semisse hereditatis decedam. Sin autem prorsus nullum allegare poterit, ecqui non teneatur conuictus, hoc agi, vt commenticiis causationibus me vexet atque exagitet, vos autem, quae est a legibus abhorrens audacia, decipiat. Iubebo igitur eum hoc in tribunal escendere, atque sic interrogabo, formula legis ante praelecta. Hoc enim pacto intelligetis optime, num puero huic vlla pars hereditatis ab Hagnia relictae vllo titulo competat, nec ne. Cape tu itaque, [scriba,] has leges, quas illis [iudicibus] praelegas. tu autem, [qui aduersus me certas,] huc ad respondendum mihi ascende. Nam linguae volubilitate polles, cauillationumque atque conclusiuncularum tuarum ludibriis perturbare atque perplexas reddere mentes hominum, legumque depraua-re sententiam nosti. *Recitat.* Insiste. Ego vero te, [mi aduersari,] interrogabo. Puer hic estne frater Hagniae? an est e fratre nepos? aut ex sorore nepos? aut consobrinus, siue ex parte materna, siue ex pater-

na? Quodnam huic nomen vnum competit eorum nominum omnium, quibus lex propinquitatem attribuit? Nolim id a te mihi obiectari, puerum hunc meum esse nepotem e sorore. Nunc enim non de mea agitur hereditate, qui adhucdum in viuis superstum. Sin autem ego decessissem, atque hic puer, partem bonorum meorum in iure petens, interrogaretur, cuias esset, tum conueniret eum respondere, se meum e sorore nepotem esse. Iam vero ais puero semissem hereditatis Hagniae competere. Atqui hoc aiens debes indicare quo gradu cognationis hic illum contingat. Verum [aduersarius] alia omnia potius respondet, quam id, quod interrogatur, et quod vos docendi estis. Atqui cui causa iusta et aequa coepta sunt, eum haud conuenit haesitare, sed statim sine cunctatione expedite proloqui, neque hoc solummodo, sed etiam iureiurando affirmare, generisque a se editi testimonia praestare, quo certiorem ei fidem adhibeatis. Iam vero, quibus in rebus interrogatus haud respondit, testes nullos produxit, iusiurandum non dixit, legem nullam allegauit, in iis sperat vos fidem sibi habituros aienti, quae vult; vos, qui iureiurando ipsponderitis, e praecepto legum sententiam vos dicturos, et sic e titulo εἰσαγγελίας huius, qua me denunciauit, me condemnaturos. Tam impurus, tam flagitiosus et impudens homo est. Ego contra ita me, vt ille, non geram, sed et cuias sim, edam, et quo titulo mihi hereditas competat, et planum faciam, non hunc solummodo puerum, sed vniuerse, quicunque alii hac de hereditate contenderunt, eos extra propinquitatem cum Hagnia esse, vt vobis ipsis confitendum sit me vera disputare. Verum ordinem rei gestae a principio inde necesse est me enarrare, vnde intelligetis et meam cum Hagnia propinquitatem, et his nullum esse ius huius hereditatis petendae. Ego enim, et

Hag-

Hagnias, et Stratocles, et Stratius, qui Stratius auunculus Hagniae eſt, e conſobrinis nati ſumus. Nam patres noſtri erant conſobrini, et patres eorum fuerant fratres. Hagnias igitur in procinctu ſtans cum naue ad legationem proficiſcendi, eiusmodi in cauſa, vnde reip. emolumentum ſperabatur, non nobis, genere proximis, bona ſua, ſi quid ei ſecius contingeret, reliquit, ſed pro filia ſibi adoptabat ſororis ſuae filiam. Sin autem illa quoque a ſiniſtro fato tolleretur, Glauconi bona ſua delegabat, qui frater ei erat vterinus. Et haec in tabulis a ſe conſcriptis ita conſtituebat. Tempore interiecto poſt vita excedit Eubulides, nec non puella, ab Hagnia in filiae locum adoptata. Et ſic e praeſcripto teſtamenti hereditatem adibat Glauco. Nos vero nondum cenſebamus aduerſus illud teſtamentum nobis eſſe ſuper illa hereditate contendendum, ſed putabamus teſtatoris voluntatem debere ratam eſſe. Conſtitutioni eius itaque inhaeſimus atque acquieuimus. Eubulidis autem filia, vna cum aliis cauſam cum ea communem facientibus, hereditatem a iudicibus petit atque auffert, victis illis, qui eam ex iure teſtamenti petierant, quamquam extra propinquitatem erat; verum ſperabat illa, vt videtur, nos ſecum litem haud eſſe exorſuros, qui aduerſus teſtamentum nil eſſemus moliti. Nos autem, ego, et Stratius, et Stratocles, quia ſemel patefactus erat nunc locus proximis propinquis ſuper hereditate in iure contendendi, parabamus nos omnes ad petendum. Priusquam vero ſortitiones fierent, moriebantur Stratius et Stratocles, et ſic relinquebar ego ſolus ſuperſtes e gente conſobrinorum Hagniae a parte paterna. Nam auus meus paternus frater fuerat patris Hagniae, et ſic ſoli mihi facta eſt legitima huius hereditatis petitio, caeteris omnibus, quibus ex titulo conſanguinitatis par erat ius petendi, vita defunctis. Quod autem mihi quidem ti-

tulus ἀγχιστείας seu propinquitatis, et per illum titulum ius hereditatem petendi competat, minus autem filiis illorum, quos supra dicebam, competere mecum decreto, a morte praeuentos esse, quibus in filiis hic quoque puer est, quis docebit? Ipsa lex nempe. Apud omnes enim in confesso quidem est, consobrinis et horum filiis, qua in classe ego sum, titulum ἀγχιστείας competere, num autem hunc eundem titulum ius ciuile secundum nos nostris quoque liberis tribuat. hoc iam est quaerendum. Cape tu legem hanc et recita ipsis. *Lex.* *Sin autem a parte patris nemo sit, vsque ad consobrinorum filios, bonorum arbitri sunto propinqui a parte matris eodem ordine.* Auditis, viri, legem sic pronuntiantem, si hereditas alicuius ad consobrinos eius eorumque filios processerit, tum eam non vlterius ad horum quoque filios procedere, sed legem tum, cum nos, consobrinorum paternorum filii, defecerimus esse, hereditatem defuncti propinquis a parte matris reddere, h. e. fratribus et sororibus defuncti et horum liberis, et reliquis, prorsus eodem ordine, atque modo dixi in propinquis a parte patris. Nostros autem liberos lex a titulo propinquitatis excludit. Quibus autem lex, post ipsum adeo decessum meum, tamen hereditatis ius denegat, quo pacto hi, me adhuc superstite, et ex auctoritate legum hereditatem tenente, sperant titulum propinquitatis sibi fore? Atqui si ius iis nullum est, quorum patres mecum iure pares erant, ne huic quidem puero pari modo ius vllum esse potest, cuius pater, dum viueret, in gradibus consanguinitatis eundem locum tenebat, quem ego nunc teneo. Grauis itaque res est, nec ferenda, quamquam leges verbis tam disertis hereditatem mihi addixerint, hos autem propinquitate excluserint, hunc tamen nihilominus audere, criminationibus iniquis et ementitis, quadru-

pla-

platorum more, me vexare. Cauſam huius hereditatis me ſortiente, neceſſe non ducebat, iure mecum experiri, neque ſacramentum propterea deponere, vbi debebat diſceptari, ſi quam habuiſſet aequam et veram praetenſionem proferre. Nunc autem, nomine huius pueri abuſus, negotia mihi moleſta faceſſit, rerumque mihi cariſſimarum atque ſummarum in diſcrimen me adducit. Et de bonis quidem pueri, quae eius eſſe inter omnes conſtat, nil me incuſant, eorumque partem vllam me interuertiſſe negant; quae ſi ego cupide turpiterque adminiſtraſſem, vt hi fecerunt, oportebat me ideo in ius vocari. Quae autem vos, data volenti cuique facultate petendi, atque ſuper iis mecum certandi, mea eſſe pronunciauiſtis, ob haec, tanta mihi conſciſcunt pericula! tam ſunt impudentes! hoccine parum acerbum ſit, parumque indignum! Quae adhuc diſputaui, ſatis quidem vobis iam conſtare ex iis cenſeo, neque puerum vlla mea iniuria laeſum eſſe, et ne minima quidem ex parte criminationibus his me obnoxium eſſe, quibus me obrutum eunt. Certius tamen adhuc atque ſubtilius e reliquis, quae mihi dicenda ſuperſunt, intelligetis, ni fallor, vbi audire iuuerit, quomodo facta ſit mea huius hereditatis petitio, eamque inſecuta adiudicatio. Actionem hereditatis ſortito me, iudices, neque hic, qui contra me nunc denuntiauit, autumabat fas eſſe pro puero aduerſus me ſacramentum deponere, neque Stratii liberi, qui cum hoc puero cognati ſunt. neque ex titulo conſanguinitatis, neque ex titulo legationis teſtamentariae; neque vlla alia de cauſa animum induxerunt mecum contendere, exiſtimautes id ſibi nefas eſſe. ne hic ipſe quidem meus aduerſarius feciſſet, neque negotia mihi faceſſiſſet, ſi eum ſiſſem bona pueri pro lubitu diripere, neque me cupiditati atque rapacitati eius oppoſu-

posuissem. Hi ergo, id quod occipiebam dicere, bene gnari, extra propinquitatem se esse, nullam mihi mouerunt hereditatis controuersiam, sed quieuerunt; qui autem causam filiae Eubulidis agitabant, quae filia Hagniam eodem cognationis gradu attingit, atque Stratii filius, nec non curatores matris Hagniae, parati erant mecum contendere. Verum in tantas incurrebant difficultates, atque perplexitates, vt dubitarent, quid in libello suo petitorio de propinquitate sua cum defuncto commemorarent. Mulier quidem, de facto sortem nunc possidens, Eubulidis filia, eiusque patroni, ad mendacium receptum habebant, et de cognatione eius falsa prodebant. Ego vero facili negotio mendacium eorum refellebam. Hagniae quidem mater eodem gradu cum eo cognata erat, atque ego sum. Est enim soror Stratii. Verum quia per legem ab adeunda filii hereditate excluditur, quae lex praecipit, duo si sint, mas et foemina, eadem de hereditate secum contendentes, eundem defunctum pari gradu cognationis attingentes, potiorem esse debere conditionem maris. Huius itaque foeminae, matris Hagniae, causam agentes, hunc vrgere articulum, de propinquitate cum Hagnia, nil curabant, at hoc vrgebant, matrem defuncti esse. Est quidem vtique, naturam rei si spectes, matris cum filio cognatio cognationum omnium arctissima. verum illius cognationis in gradibus consanguinitatis a lege constitutis nulla habetur ratio, de quo inter omnes constat. Ad hunc modum ego cum docuissem illas foeminas extra propinquitatem esse, coram tribunali vestro, iudices, hereditatem Hagniae adeptus sum, mihi adiudicatam, neque profuit illis quicquam, non alteri illi, quae hereditatem iam possessum ierat, et in vsucapione habebat, hoc, quod eos, qui hereditatem ex titulo testamenti petissent, vicis-

set;

set; neque huic alteri istud, quod mater esset eius, a quo relicta fuisset hereditas haec in controuersiam adducta; sed, qui tum sedebant iudices, hi tanti faciebant ius aequum et iusiurandum a se dictum, vt litem secundum me darent, qui hereditatem hanc titulo iuris a legibus constituti petissem. Atqui ego si has quidem mulieres [Eupolidis filiam, et Hagniae matrem] illo, quo dixi, modo in iudicio vici, eo, quod planum feci, secundum forensem, in iudiciis obtinentem propinquitatem, necessitudinem ipsis cum Hagnia nullam intercedere, et hic [meus aduersarius] si ausus tum non fuit pro hoc puero semissem hereditatis petere, atque Stratii liberi, qui in eodem sunt, cum hoc puero, gradu et iuris et consanguinitatis cum Hagnia, si ad hoc diei ausi non sunt mecum hac de hereditate contendere, egoque ipse hanc hereditatem si teneo a vobis mihi legitime adiudicatam, et hunc si coarguo planumque facio, non potuisse ad hoc diei demonstratum dare, puero cum Hagnia cognationem esse: ecquid adhuc vos oportet discere? ecquid adhuc aliud hac de re cupitis audire? Nam ego equidem viros sapientes vos habeo, quibus a me disputata satis et super esse possint. Hic autem [aduersarius meus] facillime quicquid in buccam venerit, nulla non de causa mentiens, nullumque sibi damnum ex improbitate sua sperans exstiturum, cum alia in me probra atque crimina coniectat, de quibus fortasse an postmodum mentionem faciam, tum hoc quoque iactat, Stratoclem et me collatis inter nos clandestinis consultationibus de diuidunda inter nos hereditate, vter nostrum tandem causam victurus esset, depectos fuisse, cum in eo essemus, vt actiones has de hereditate sortiremur. Atqui si quibus aliis licuit hac de hereditate certamen inter se compromittere, nobis solis id non licuit. Nam

Eubu-

Eubulidis quidem filia et Hagniae mater, quod inter se non ex eodem iuris titulo certarent, poterant illae quidem secum decidere, atque clanculum depeciſci, vtra vinceret, vt alteram victam in portionem hereditatis venire ſineret. Cadiſcus enim [ſeu vrnula] earum vnicuique ſua ſeorſim ponenda erat. Noſtra autem non eadem erat conditio. Contendebamus enim ambo nos ex eodem titulo cognationis, verum vnusquisque noſtrum ſeorſim pro ſe ſingulari actione ſemiſſem hereditatis petebat. Petentibus autem idem, et ex eodem titulo, vna ſolummodo ponitur vrna, et tum non poteſt alter vincere, alter vinci, ſed ambobus idem imminet periculum. Quapropter negatum nobis erat inter nos depeciſci, aut communionem partitionemue inter nos conſtituere huius hereditatis. Verum quia Stratocles vita prius deceſſit, quam noſtrum vnusquisque ſuam ſeorſim actionem de ſemiſſe hereditatis ſortiretur, eoque pacto interempta Stratocli erat eius participatio, parique modo filio eius, per legem, ſed hereditas ex aſſe, ex titulo propinquitatis, ad vnum me, ſi viciſſem poſſeſſores, deuentura erat, tum demum [aduerſarius meus] iſta ſibi comminiſcitur, et machinatur, ſperans facile ſibi futurum, vt eiusmodi commentis vos decipiat. Nihil autem horum fieri potuiſſe, ſed vnumquodque momentum cauſarum ad hereditates pertinentium a legibus diſtincte ſubtiliterque definitum eſſe, facile id eſt e legibus cognoſcere. Cape tu iſtoc, et recita ipſis. *Lex.* Videturne vobis lex facultatem dare communionis, [vel partitionis inter duas partes de hereditate litigantes clam condicendae?] annon potius e contrario, etiamſi antea fuiſſet communio, edicit vnumquemque ſuam portionem petere, et eadem de re eodemque ex titulo litigantibus vnum poni cadiſcum, et ad hunc modum

Thucydidis verba respexit CICERO *Bruto C. 12. quo* (Antiphonte) *neminem unquam melius vllam orauisse capitis caussam, cum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides.* Primus vero Antiphon ab iis, quibus orationes scripsisset, mercedem exegit. DIODORVS apud CLEM. ALEX. *Strom.* I. *p. 365.* καὶ μισθὸν συνηγορῆσαι πρῶτον δικανικὸν λόγον. etc. AMMIAN. MARCELL. XXX. 4. *Antiphon ille Rhamnusius, quem ob defensum negotium omnium primum antiquitas prodidit accepisse mercedem.* Quae res, cum illis temporibus parum liberalis hominis esse videretur, Antiphonti auaritiae infamiam contraxit. Comici in primis, quorum tum summa erat licentia, hinc eius reprehendendi ansam arripuerunt. PHILOSTRATVS *p. 499* καθάπτεται δ' ἡ κωμῳδία τοῦ Ἀντιφῶντος, ὡς δεινοῦ τὰ δικανικὰ, καὶ λόγους κατὰ τοῦ δικαίου ξυγκειμένους ἀποδιδομένου πολλῶν χρημάτων, αὐτοῖς μάλιστα τοῖς κινδυνεύουσι. PLATONEM, veteris comoediae poëtam, hoc nomine Antiphontem perstrinxisse, docet PSEVDO-PLVTARCHVS: κεκωμῴδηται δὲ εἰς φιλαργυρίαν ὑπὸ Πλάτωνος ἐν Πεισάνδρῳ. Sic enim e PHOTIO legendum pro σὺν Πεισάνδρῳ, quamuis contra PHOTIVS e PLVTARCHO emendandus videatur OLEARIO *ad Philostrat.* l. c. Vid. TAYLOR. *Lect. Lysiac. C.* VII. Antiqui Rhetores Antiphonti solas fere tribuunt orationes iudiciales, quasi aliud genus non attigisset. HERMOGENES tamen loco supra allato λόγους δημηγορικοὺς commemorat. Recte. Nam constat, deliberatiuum etiam genus ab eo esse tractatum, siue ipse illas orationes ad populum habuerit, siue aliis, qui concionem habere vellent, scripserit. Tales fuerunt ὁ Πολιτικὸς, ὁ περὶ τοῦ Λυδίων φόρου, ὁ περὶ τοῦ Σαμοθράκων φόρου, etc. quae orationes saepe commemorantur ab HARPOCRATIONE, aliisque Grammaticis. Praeter iudiciales et deliberatiuas Antiphon

etiam, Gorgiae exemplo, ſcripſit ſophiſticas. PHILOSTRATVS *p. 500. σοφιστικοὶ δὲ καὶ ἕτεροι μὲν, σοφιστικώτερος δὲ ὁ ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας.* Atque huc pertinet locus CICERONIS *Bruto C.* 12. Nam cum CICERO ex ARISTOTELE narraſſet, Gorgiam paratos habuiſſe locos communes, cum ſingularum rerum laudes, vituperationesque conſcripſiſſet, addit, *huic Antiphontem Rhamnuſium ſimilia quaedam habuiſſe conſcripta.* Ad tales locos communes forte quis referat orationes vndecim adhuc ſuperſtites, quae tametſi in forenſi argumento verſantur, tamen quod nullum indicium vel accuſatoris, vel rei, vel temporis habent, nihil aliud ſunt, niſi loci communes, quibus vel ipſe Antiphon, vel alii in ſimili re vterentur.

Quid Antiquitas de Antiphontis in dicendo facultate exiſtimarit, ſatis oſtendit tribuendo illi venerabili nomine NESTORIS,

Τῷ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Vid. PHILOSTRAT. *p. 498.* PSEVDO-PLVTARCHVM et PHOTIVM *in eius vita.* Ab eo etiam omnes clari in literis viri *παροιμιακῶς* appellati ſunt RHAMNVSII, vt SVIDAS refert v. *Ῥάμνος.* THVCYDIDES, idoneus in primis iudex, quam magnifice de eius eloquentia ſenſerit, ex eo loco, quem ſupra attulimus, apparet. De orationis compoſitione, qua vſus eſt Antiphon, ita iudicat DIONYS. HALICARN. de *Compoſ. verb. p. 9. ἡ δὲ Θουκυδίδου λέξις, καθ' ἣν Ἀντιφῶντος τοῦ Ῥαμνουσίου καλῶς μὲν σύγκειται νὴ Δία, εἴπερ τινὲς καὶ ἄλλαι, οὐ μὴν ἡδέως γε πάνυ.* Idem in *Iſaeo p. 111.* Antiphonti tribuit *τὸ αὐστηρὸν μόνον καὶ ἀρχαῖον*, addens pro ſolita ſua in iudicando acerbitate: *ἀγωνιστὴς δὲ λόγων οὔτε συμβουλευτικῶν, οὔτε δικανικῶν ἐστι.* Sed nos THVCYDIDI plus credimus, quam ſexcentis DIONYSIIS. Haud mitius eſt iudicium, quod

quod idem DIONYSIVS fert in *Demoſthen. p. 167.* Ab HERMOGENE de *Form. Orat.* II. *p. 407.* Antiphon dicitur πολιτικὸς μὲν καὶ κατὰ τὸ ἀληθινόν, καὶ ἄλλως ἠθικός, ὥστε καὶ πιθανὸς — μεγέθει χρώμενος ἐκ ὀλίγῳ, καλῶς δέ πως συνυφασμένᾳ. vbi plura ſunt huc pertinentia, quae breuitatis cauſſa omitto. PHILOSTRATVS *p. 500.* λόγοι δ' αὐτῷ δικανικοὶ μὲν πλείους, ἐν οἷς ἡ δεινότης, καὶ πᾶν τὸ ἐκ τῆς τέχνης ἔγκειται. Sic enim legendum eſſe ex Cod. Regio Pariſ. non σύγκειται, quod placuit *Oleario*, nos monuit Cel. Praeſes. Adde his LIBANIVM *Opp.* T. II. *p. 480.* Elegantiſſime de Antiphonte ſententiam dixerunt PSEVDO-PLVTARCHVS et PHOTIVS, ſiue potius, quem illi ad verbum deſcripſiſſe videntur, CAECILIVS in *Commentario de Antiphonte:* ἔστι δὲ ἐν τοῖς λόγοις ἀκριβὴς καὶ πιθανὸς, καὶ δεινὸς περὶ τὴν εὕρεσιν, καὶ ἐν τοῖς ἀπόροις τεχνικὸς, καὶ ἐπιχειρῶν ἐξ ἀδήλων, καὶ ἐπὶ τὰς νόμους, καὶ τὰ πάθη τρέπων τοὺς λόγους, τῷ εὐπρεπεῖς μάλιστα ζοχαζόμενος. Quod iudicium quin verum ſit, et rei conſentaneum, nemo, qui ſuperſtites Orationes legerit, dubitabit. Prope igitur adducor, vt credam, has orationes nunquam ſerio lectas eſſe a doctiſſimo et cetera accuratiſſimo viro, IO. IONSIO, qui *de Script. Hiſt. Philoſ. p. 325.* magna confidentia ſcribit, Antiphontis, quae ſuperſunt, orationes ſcholaſticas eſſe atque fictas declamationes, et Antiphontis nil praeter nomen habere. Sed hicce error commodius a nobis Capite III. profligabitur.

CAPVT SECVNDVM.

Iam Antiphontis aetate, vt quisque Athenis diſertiſſimus erat, ita ad honores et munera reipublicae tractanda maxime euehebatur. Antiphon igitur, omnibus eloquentiae praeſidiis inſtructus, non putauit ſibi domi deſidendum, ſed animum eſſe ad rempubli-

cam

cam appellendum. PLVTARCHVS: δύναμιν λόγων κτησάμενος, ὥρμησε μὲν πολιτεύεσθαι. Magni eius opera Athenienſibus fuit in Bello Peloponneſiaco. Nam et duabus triremibus praefectus, et exercitus Praetor ſaepe cum hoſte conflixit, aliquot preeclaras victorias reportauit, et Athenienſibus belli ſocios adjunxit. PLVTARCHVS: ὁτὲ μὲν δυσὶ τριηραρχῶν ναυσὶν, ὁτὲ δὲ στρατηγῶν, καὶ πολλαῖς μάχαις νικῶν, καὶ συμμαχίας μεγάλας αὐτοῖς προσαγόμενος. PHILOSTRAT. *p.* 498. ἐστρατήγησε πλεῖστα, ἐνίκησε πλεῖστα. Verum multo luculentius beneficium contulit in patriam, augens rem uaualem ſexaginta triremibus, quae viris armisque inſtructae eſſent. PHILOSTRATVS *l. c.* ἑξήκοντα τριήρεσι πεπληρωμέναις κῦξησεν Ἀθηναίοις τὸ ναυτικόν. PLVTARCHVS: καὶ τὰς ἀκμάζοντας ὁπλίζων, καὶ τριήρεις πληρῶν ἑξήκοντα. Quae ſi vera ſint, regiae atque immenſae homini opes fuerint neceſſe eſt, quas quauis potius ratione comparauit, quam orationibus aliorum nomine ſcribendis. Videri poſſit XENOPHON *Hellen.* II. *p.* 467. quod modo ex PLVTARCHO et PHILOSTRATO retulimus, in dubitationem adducere. Nam duas tantum triremes ab Antiphonte ſuppeditatas dicit. Sed XENOPHONTI de alio Antiphonte, minus potente et illuſtri, ſermonem eſſe, infra oſtendemus. Forte etiam Antiphon patriae ſuae Archon fuit, annumque ſuo nomine ſignauit. Certe DIODORVS SICVL. XII. *p.* 534. ἄρχοντα ἐπώνυμον Olymp. XC. 3. ponit Antiphontem, quem Rhamnuſium fuiſſe, et aetas, et alii ſummi, quos geſſit, honores probabile reddunt.

Sed operae pretium eſt videre, qualem ſe Antiphon in republica adminiſtranda geſſerit. Eloquentia ipſi viam ad honores pateſactam eſſe oſtendimus: ſed illa ipſa Eloquentia, qua animos hominum in quascunque partes flectere poterat, illum populo reddidit ſuſpe-

ſuſpectum. Quod ſentiens Antiphon, nunquam velut in ſcenam prodiit, ſed poſt ſiparium latuit, enixe adiuuans, qui conſilium ſuum in republica gubernanda expetiiſſent. THVCYDIDES loco egregio, quem ſaepe laudauimus: καὶ ἐς μὲν δῆμον ἐ παριὼν, ἐδ' ἐς ἄλλον ἀγῶνα ἐκέσιος ἐδένα, ἀλλ' ὑπόπτως τῷ πλήθει διὰ δόξαν δεινότητος διακείμενος, τὲς μέντοι ἀγωνιζομένες, καὶ ἐν δικαςηρίῳ καὶ ἐν δήμῳ πλεῖςα εἰς ἀνὴρ, ὅσις ξυμβελεύσαιτό τι, δυνάμενος ὠφελεῖν, Adde PLVTARCH. *Nicia p. 526.* et PHILOSTR. *p. 499.* Ad Antiphontem potiſſimum, tanquam auctorem, refertur inſignis illa Reipublicae Athenienſis commutatio, quâ, priſtinâ Magiſtratuum ratione antiquata, ſumma omnium rerum poteſtas translata eſt ad Quadringentos viros. Quae publici ſtatus mutatio vt rectius intelligatur, illorum temporum hiſtoriam paulo altius repetamus.

Belli Peloponneſiaci anno XVII. Olymp. XCI. 1. Athenienſes, ſuadente Alcibiade, fruſtra obnitente Nicia, Syracuſanis bellum intulerunt, et ad id gerendum ducem Alcibiadem delegerunt. Sed antequam claſſis altum peteret, accidit, vt omnes Hermae vel Mercurii ſtatuae vna nocte deiicerentur. Quae res quod ex coniuratione ad populi libertatem opprimendam inita extitiſſe videbatur, ingentem Athenienſibus terrorem incuſſit. Dux coniurationis Alcibiades plerorumque oculis notabatur, qui tum reliquos ciues opibus, gratia, multitudine amicorum et clientium anteibat. Vix ille claſſe in Siciliam peruenerat, cum inimici eum hoc crimine apud populum compellantes perficiunt, vt domum ad cauſſam dicendam reuocaretur. Alcibiades populi mandato parens, Athenas contendit. Sed cum in itinere audiuiſſet, ſe indicta cauſſa capitis eſſe damnatum, bonis publicatis, Lacedaemona demigrauit. Cum vero Lacedaemoniorum con-

conſtantiae non ſatis conueniret verſatile Alcibiadis ingenium, eique priuatae ſimultates intercederent cum Agide, Lacedaemoniorum Rege, non ſatis tutum hoc perfugium ratus, ad Tiſſaphernem, praefectum Regis Perſarum, ſe contulit, et callide ei perſuaſit, non expedire Regi, Lacedaemoniorum opes nimis creſcere, ne confecto bello ſtatim cum victoribus certamen ſit ſuſcipiendum.

Alcibiades, hac opera ciuibus ſuis venditata, cum Piſandro, Praetore Athenienſium apud Samum, qui, ſicut ipſe, optimatibus fauebat, conſilium de reditu in patriam agitare coepit, offerens liberaliter tum Regis Perſarum amicitiam, tum operam ſuam, hac conditione, vt imperium a populo ad Optimates transferretur. Hoc Alcibiadis conſilium a Piſandro primum cum Samiis, mox cum Athenienſibus, qui Sami verſabantur, communicatum eſt, et parum abſuit, quin, adiuuantibus illud Athenis etiam primi ordinis viris, feliciter cederet. Sed huic Alcibiadis conatui interceſſit Phrynichus, Dux Athenienſium exercitus, callide intelligens, Alcibiadi non magis paucorum dominatum curae eſſe, quam ſtatum popularem, ſed id tantum quaeri, (quod poſtea euentus comprobauit) vt ipſe, diſcordia inter ciuitatis Ordines ſparſa, ab alterutra parte in auxilium vocetur. Longum eſſet enarrare, quae impedimenta Phrynichus Alcibiadis conſilio obiecerit. Tandem Piſander aliique Legati Athenas veniunt, populo perſuaſuri, vt Alcibiades in patriam reuocetur, et, mutata antiqua regendi forma, respublica quadringentis committatur: Quod ſi facerent, eos Perſarum Regem belli ſocium habituros, ſin minus, ne ipſam quidem ſalutem eos ſeruaturam. Hac neceſſitate populus compulſus, in Piſandri et reliquorum legatorum ſententiam concedit, et Democratiam Oligarchia commutat. Conſtituuntur Decemuiri reipublicae ordinan-

dinandae cum summa potestate, qui certa die ad populum referant, quae optima sit ratio Reipublicae administrandae. Hi, vbi dies aduenit, populum rogant, vt cuiuis Athenienſium ſententiam, quamcunque velit, dicere impune ſit. Qua dicendi libertate conceſſa, omnes cenſuerunt, antiquos Magiſtratus eſſe abdicandos: ſimul quinque concionis Praeſides delegerunt, a quibus rurſus centum alii viri deligerentur, quorum ſinguli ſibi tres alios cooptarent, hi denique Quadringenti rempublicam cum ſumma poteſtate adminiſtrarent. In hac hiſtoria enarranda potiſſimum ſecuti ſumus Hiſtoricorum principem, THVCYDIDEM *L.* VIII. cui iungendi ſunt NEPOS et PLVTARCHVS *in Alcibiade*, DIODOR. SICVL. *L.* XIII. et IVSTINVS *L.* V. Talis ac tantae conuerſionis praecipuus architectus fuit Antiphon, vt ſupra diximus, ſed latitans more ſuo, et conſiliis monitisque inſtruens Piſandrum, aliosque priſtini ſtatus euerſores. THVCYDIDES: ὁ μέντοι ἅπαν τὸ πρᾶγμα ξυνθεὶς, ὅτῳ τρόπῳ κατέσῃ εἰς τοῦτο, καὶ ἐκ πλείστου ἐπιμεληθεὶς, Ἀντιφῶν ἦν etc. PHILOSTRAT. κατέλυσε τὴν δημοκρατίαν, ἐβούλωσε τὸν Ἀθηναίων δῆμον. PSEVDO-PLVTARCHVS: καὶ παρατέτακεν ἕως καταλύσεως τῆς δημοκρατίας ὑπὸ τῶν τετρακοσίων γενομένης, ἣν αὐτὸς δοκεῖ συγκατασκευάσαι. PHOTIVS: παρέτεινε δὲ τὸν βίον ἕως τῆς ὑπὸ τῶν ϋ γενομένης καταλύσεως, ἧς καὶ αὐτὸν αἰτίαν μετεσχηκέναι φασὶ παρασχεῖν. quae PHOTII verba, a librariis turbata, ſic in ordinem cogas: ἧς καὶ αὐτὸν μετεσχηκέναι, καὶ αἰτίαν φασὶ παρασχεῖν. Huc etiam pertinet locus LIBANII *Apologia Socratis p.* 651. vbi licet Antiphontis nomen reticeatur, ſatis tamen patet, non alium intelligi, niſi Antiphontem: ἀλλ' ἐκ ἔδειξεν αὐτὸν ἐν μέσῳ, λάθρα δὲ τὸ πρᾶγμα συνέθηκεν, ὡς ὄχλῳ μὲν ἐκ εἰωθὼς χρῆσθαι, τῶν δ' αὐτῶν ἐκείνοις ἐπιθυμῶν. ἑτέρῳ ταῦτα ἦν τῷ καὶ τῶν τετρακοσίων ἑνὸς,

καὶ

καὶ λόγον ὕστερον, ὧν ἔδοξεν ἀδικεῖν, δεδωκότος. Sic locus ille scribendus est, in quo manifesta apparent vestigia imitationis loci Thucydidei de Antiphonte.

In hunc Quadringentorum numerum populus allegit tum ipsum Antiphontem, tum Phrynichum et Theramenem, *) amicitia et vsu Antiphonti coniunctos, sed inter quos breui grauissima discidia extiterunt. Quadringenti in duas factiones discesserant, quarum altera, duce Theramene, impense fauebat Alcibiadi, altera, cuius caput cum Phrynicho erat Anti-

*) Theramenis Historia, propter diuersa et pugnantia inter se veterum scriptorum de eo iudicia, commodam Academicae exercitationi materiem praebere posset. Obiter *Theramenis* nomen restituamus LIBANIO *Apolog. Socrat. p. 651.* ἔστιν ἓν εἰπεῖν, ὅτι μετέσχεν ἀνὴρ τῆς τῶν τετρακοσίων ὀλιγαρχίας, τῶν τριάκοντα παρανομίας; τον Πεισανδρον ἐμιμήσατο. μετὰ Ῥαμένους ἐξήτασαι, τῷ Φρυνίχῳ ταὐτὸ ποιῶν ὤφθη; Legendum Θηραμένους. Theramenes vulgo *Cothurnus* dictus est, quod in ciuium factionibus ancipitem se gerebat, et vtrique parti gratus esse studebat, sicut *cothurnus* aptus est vtrique pedi. CRITIAS in oratione aduersus Theramenem apud XENOPHONT. *Hellen.* II. *p. 465.* ὅθεν δήπε γάρ καὶ Κόθορνος ἐπικαλεῖται. καὶ γὰρ ὁ κόθορνος ἁρμόττειν μὲν τοῖς ποσὶν ἀμφοτέροις δοκεῖ. vbi Celeb. RVHNKENIVS rectissime expungit verba, καὶ γὰρ ὁ κόθορνος ἁρ. μ. τ. π. α. δ. tanquam Grammatici marginale glossema; quamuis illa in libro suo inuenerit Scholiast. Aristoph. ad *Ran.* vs. 47. POLLVX VII. 91. ὁ δὲ κόθορνος, ἑκάτερος ἀμφοῖν τῶν ποδοῖν. ὅθεν καὶ τὸν Θηραμένην Κόθορνον ἐκάλουν, διὰ τὸν περὶ τὴν πολιτείαν ἀμφοτερισμόν. Vide eximium virum, L. KVSTERVM ad SVID. v. Θηραμένης.

Antiphon, omnibus modis, ne Alcibiades reuocaretur, impediebat, facile videns, eo recepto, rempublicam ad popularem ſtatum redituram. Quum vero altera factio ſuperior eſſe coepiſſet, nec res aliter teneri poſſet, Antiphon, Phrynichus, aliique decem, tanquam factionis ſuae legati, ad ipſos Athenienſium acerbiſſimos hoſtes, Lacedaemonios profecti ſunt, vt pacem quibuscunque conditionibus facerent. Simul eorum conſilio Eetionea munita eſt, qua hoſtium claſſem pedeſtremque exercitum, quando et quoties vellent, recipere poſſent. Sed legati re infecta Athenas reuerſi ſunt, et nihil aliud hac legatione, quam ſibi exitium maturarunt. Vix reuerſus Phrynichus ex inſidiis periit in frequenti foro, percuſſore eius impune euadente. Qua re animus creuit aduerſae factioni, eiusque principi, Therameni. Fit deinde maxima rerum commutatio. Nam, diſſoluto Quadringentorum imperio, respublica quinque millibus adminiſtranda traditur. Alcibiades denique in patriam reuocatur. Vid. THVCYDID. VIII. 90. ſeqq. Haec geſta ſunt Olymp. XCII. 2. Praetore Theopompo. Eodem anno inimici Antiphontem in ius vocarunt, vbi non indicta cauſſa condemnatus eſt, vt grauiſſimo errore ſcribit PSEVDO-PLVTARCHVS, ſed cauſſam dicere coactus, tum primum publice dixit tanta vi eloquentiae, vt THVCYDIDES illum optime omnium, ad ſuam vsque memoriam, capitis cauſſam dixiſſe fateatur. Accuſatus eſt, THVCYDIDE teſte, quod paucorum dominatum conſtituiſſet: καὶ αὐτός τε ἐπειδὴ τὰ τῶν τετρακοσίων ἐν ὑστέρῳ μεταπεσόντα ὑπὸ τῦ δήμε ἐκακῦτο, ἄριστα φαίνεται τῶν μέχρις ἐμῦ ὑπὲρ αὐτῶν τότων αἰτίας, ὡς ξυγκατέστησε, θανάτε δίκην ἀπολογησάμενος. In ipſa vero publica condemnationis formula, quam ex CAECILIO, magno huius hiſtoriae bono, conſeruauit PLVTARCHVS, damnatus dicitur, quod

exitio reipublicae legatus ad Lacedaemonios profectus esset, et e castris naui hostili abiisset, et per Deceleam iter terrestre fecisset, atque adeo patriam suam prodidisset. Poena ipsi longe atrocissima constituta est, vt vndecim viris traderetur, bona eius publicarentur, aedes solo aequarentur, titulo aedium in area posito, ANTIPHONTIS PRODITORIS, vt neque Athenis, neque in terra Attica sepeliretur, vt non modo ipse infamis esset, sed omnes etiam ex eo nati, siue legitimi essent, siue spurii, vt infamia quoque notaretur, qui quem posterorum Antiphontis adoptaret. De poenae genere nihil habet THVCYDIDES, forte rem adeo atrocem de industria silentio praetermittens, vt magistro bene de se merito gratificaretur. Quae probabilis est coniectura MARCELLINI *in vita Thucyd. p. 4.* ὅτι δὲ μετὰ τὸν θάνατον τιμωρούμενοι τὸν Ἀντιφῶντα οἱ Ἀθηναῖοι ἐξέριψαν ἔξω τῆς πόλεως τὸ σῶμα, σεσιώπηκεν, ὡς διδασκάλῳ χαριζόμενος. vbi sequentia verba, tanquam inutile additamentum, resecanda: λέγεται γὰρ ὡς ἐξέριψαν αὐτῷ τὸ σῶμα οἱ Ἀθηναῖοι ὡς αἰτίῳ τῆς μεταβολῆς τῆς δημοκρατίας. Oratio, qua se defendit Antiphon, dicitur περὶ μεταστάσεως, i. e. *de mutatione status popularis in oligarchiam Quadringentorum virorum.* HARPOCRATION. v. Στασιώτης. Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ μεταστάσεως· περὶ τοίνυν ὧν ἀπόλεξις κατηγόρηκεν, ὁ στασιώτης ἦν ἐγὼ, καὶ ὁ πάππος ὁ ἐμὸς etc. vbi H. VALESIVS, Vir magnus, corrigit ὧ vel ἃ στασιώτης ἦν ἐγώ. Malim, ὅτι στασιώτης ἂν ἦν ἐγώ.

Sed antequam hinc discedamus, excutienda sunt quaedam veterum scriptorum loca, quae hactenus disputatis non satis conuenire videantur. PSEVDO-PLVTARCHVS ex LYSIAE oratione deperdita, et THEOPOMPO refert, Antiphontem sub triginta Tyrannis, qui Olymp. XCIV. 2. constituti sunt, capitis damnatum

tum esse. Si LYSIAE illa oratio, et THEOPOMPI historia extaret, certius hac de re iudicari posset. LYSIAS quidem in *oratione*, quae superest, *adu. Eratosth.* *216.* Antiphontem, narrat, a populo, post libertatem recuperatam, condemnatum esse, adeoque nihil dicit, quod THVCYDIDI, et Monumento publico, supra à nobis laudato, cuius summa debet esse auctoritas, aduersetur. Antiphon igitur, qui sub triginta tyrannis periit, diuersus fuit ab Antiphonte Rhamnusio: quod et ipsum PLVTARCHO commode in mentem venit. Adiiciamus eius verba ex pulcerrima emendatione TAYLORI *Lection. Lysiac. c.* VII. ἀλλ' ἔτός γε ἂν εἴη ἕτερος, Λυσιδωνίδε πατρὸς. ὃ Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ ὡς πονηρῶ μνημονεύει. Verum, ne quid dissimulemus, Theramenes etiam apud XENOPHONT. *Hellen.* II. *p.* 467. Antiphontis condemnationem manifeste tribuit triginta Tyrannis: ἀλλὰ μὴν καὶ Ἀντιφῶντος ὑφ' ὑμῶν ἀποθυμένε, ὃς ἐν τῷ πολέμῳ δύο τριήρεις εὖ πλεύσας παρείχετο, ἠπιστάμην ὅτι καὶ οἱ πρόθυμοι τῇ πόλει γεγενημένοι πάντες ὑπόπτως ὑμῖν ἔξοιεν. Qui locus cum THVCYDIDE, et Monumento publico apud PLVTARCHVM, conciliari non potest, nisi forte dicamus, Theramenem propterea Antiphontis exitium triginta Tyrannis imputasse, quod plures in eorum numero essent. qui ante constitutum Trigintauiratum Antiphontem in perniciem impulissent. At haec de Antiphontis morte querela cuiuis potius conueniisset, quam Therameni, in quem vnum LYSIAS *Orat. adu. Eratosthen. p.* 216. coniicit crimen Antiphontis interfecti: βελόμενος δὲ τῷ ὑμετέρῳ πλήθει δοκεῖν πιστὸς εἶναι, Ἀντιφῶντα καὶ Ἀρχεπτόλεμον φιλτάτους ὄντας αὐτῷ κατηγορῶν ἀπέκτεινεν. Cui dubitationi forte quis ita occurrat, vt dicat, Theramenem, cum idem sibi, quod Antiphonti antea, supplicium impenderet, vel poenitentiam agere coepisse,

quod veterem amicum perdidiſſet, vel crimen a ſe transferre voluiſſe in triginta Tyrannos. Sed fatemur, animum magis in hanc partem inclinare, vt ſtatuamus, XENOPHONTEM non de Antiphonte Rhamnuſio loqui, ſed de alio, Lyſidonidis filio. quem LYSIAS in oratione deperdita, et THEOPOMPVS dicunt ſub triginta Tyrannis periiſſe.

Hactenus de vita, rebus geſtis, et morte Antiphontis; quibus ſperamus ſatisfactum eſſe TAYLORO V. C. in *vita Lyſiae p. 39.* dubitanti, an Antiphon e collegio CCCC Virorum idem fuerit, qui Antiphon Orator.

CAPVT TERTIVM.

Sequitur, vt de ingenii monumentis, quibus Antiphon nomen ſuum poſteritati commendauit, breuiter dicamus. Sed hic nobis fere otium fecerunt Viri literariae hiſtoriae peritiſſimi, IO. MEVRSIVS in *Biblioth. Attica, T. X. Thſ. Ant. Gr. p. 1422.* IO. IONSIVS libro ſaepius laudato, et IO. ALB. FABRICIVS *Bibl. Gr. L. II. C. 26. p. 837.* Attingamus igitur ea tantum, quae a viris egregiis vel perperam dicta ſint, vel praetermiſſa. De Antiphontis *τέχνη ῥητορικῆ* ſupra diximus, quae repetere non eſt neceſſe. Orationes eius ſexaginta olim extiterunt, e quibus CAECILIVS, Rhetor, viginti quinque velut ſubditicias familia ſubmouit. PHOTIVS et PLVTARCHVS: *Φέρονται δὲ αὐτῦ λόγοι ἑξήκοντα, ὧν ὁ Καικίλιος εἴκοσι καὶ πέντε φησὶν αὐτῦ καταψεύδεσθαι, ὡς εἶναι τὰς διαφυγόντας τὸ νόθον, πέντε καὶ τριάκοντα.* Sed ex his paucae tantum commune bonorum librorum naufragium euaſerunt: reliquarum vix tituli ſalui ad nos peruenerunt. Atque hic, quod ſupra promiſimus, a nobis praeſtandum eſt, vt velut per inductionem demonſtremus, IO. IONSIVM Orationes, quae ſuperſunt,

sunt, temere et inconsulte pro declamationibus a scholastico homine confictis habuisse. Ex *Orat.* IV. *p. 41.* ἀπελογήθη citat POLLVX II. 119. Ex eadem *Orat. p. 44.* locum laudat AMMONIVS v. Ἐνθύμημα. Quae in *Orat.* V. *p. 50.* leguntur, τὸν αἰναίτιον καταλαβόντας, τὸν αἴτιον ἀφεῖναι, affert SVIDAS v. Καταλαβεῖν, qui hinc corrigendus. Ex *Or.* X. *p. 71.* vocem γηραιὸς excerpsit POLLVX II. 13. Ex eadem *Orat. p. 72.* idem VIII. 21. habet vocem ἐπιτίμιον. Nobilissimam Orationem *de caede Herodis* bis nominatim citat HARPOCRATION v. Διετείνοντο, et v. Φρῆδος. Vterque locus extat *p. 103. et 111.* Ex eadem oratione, quamuis haud nominata, POLLVX III. 138. excerpsit vocem αἰτίασις, quae est p. 101. et IX. 13. verbum χωροφιλεῖν, quod occurrit p. 126. Orationem *de Choreuta* laudat HARPOCRATION v. Διδάσκαλος. Locus, quem inde affert, extat p. 143 Sed idem ex eadem Oratione citat Διϊπόλια, quae ibi non comparent. Videtur ergo HARPOCRATION, memoria lapsus, Orationem *de Choreuta* pro quinta, in qua *p. 49.* Διϊπόλια occurrunt, laudasse. Eat nunc IONSIVS, et spurias ineptasque iudicet Orationes, quas ipsi antiqui Grammatici, quorum spectata est eruditio, HARPOCRATION, POLLVX, AMMONIVS, SVIDAS, non modo vt genuinas probarunt, verum etiam tanquam Attici sermonis normam adhibuerunt. Haec sufficiant ad vindicandam γνησιότητα *Orationum de caede*, vel λόγων φονικῶν, quas nobis solas reliquas fecit temporis iniuria.

Inter Orationes deperditas, teste PSEVDO-PLVTARCHO, prae aliis laudem tulit ὁ πρὸς Ἐρασίστρατον περὶ ΤΩΝ ΙΔΕΩΝ. Bona fide vertitur, *de generibus vel formis dicendi.* Ridiculum sane orationis argumentum, quale ne ineptus quidem posterioris aetatis Sophista ad populum explicare sustinuisset. Vidit

absurdum, quod in hoc titulo est, (et quis non videat?) IO. IAC. REISKIVS *Animadu. in Plutarch. p. 490.* Verum, vt est infelicissimus coniector, hic quoque, *περὶ τῶν ἐλαιῶν, de oleis*, legens, aberrauit. Vide, quanto felicius Celeberrimus RVHNKENIVS restituerit, *ὁ πρὸς Ἐρασίστρατον περὶ* ΤΩΝ ΤΑΩΝ, *oratio aduersus Erasistratum de Pauonibus.* Subiiciamus veterum scriptorum loca, quae palmariam emendationem omni dubio liberent. ATHENAEVS XII. p 1397. *Ἀντιφῶντι δὲ τῷ ῥήτορι λόγος μὲν γέγραπται, ἔχων ἐπίγραμμα περὶ Ταῶν.* vbi plura laudat ex hac oratione. AELIANVS *Histor. Animal.* V. 21. *ἐτιμῶντο δὲ τὸν (ταῶν) ἀῤῥένα, καὶ τὸν θῆλυν δραχμῶν χιλίων, ὡς Ἀντιφῶν ἐν τῷ πρὸς Ἐρασίστρατον λόγῳ φησί.* HARPOCRATION: *Εὐσφθάλμως, ἀντὶ τοῦ εὐπρεπῶς. Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ Ταόνων.* Idem alibi: *Πυριλαμπής. Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ τῶν Ταῶν.* EVSTATHIVS ad *Iliad. B. p. 346.* Athenaeum, vt solet, describens: *Ἀντιφῶν μὲν γὰρ, φασὶν, ὁ ῥήτωρ διευθύβως κλίνει, λόγον γράψας, ἐπίγραμμα ἔχοντα περὶ Ταῶν.* Forte hicce Antiphontis *Pauo* occasionem dedit LVPERCO BERYTIO, Grammatico, scribendi libelli *περὶ τοῦ Ταὼ*, sicut idem alium libellum scripserat *περὶ τοῦ παρὰ Πλάτωνι ἀλεκτρυόνος.* Vide SVIDAM v. *Λούπερκος.*

Scripsit etiam Antiphon *Ἀλκιβιάδου λοιδορίας*, laudatas a vero PLVTARCHO *Alcibiade p. 192. F. ἐν δὲ ταῖς Ἀντιφῶντος λοιδορίαις γέγραπται, ὅτι παῖς ὢν ἔκ τῆς οἰκίας ἀπέδρα πρὸς Δημοκράτη, τινὰ τῶν ἐραστῶν.* Hanc quoque orationem IONSIVS p. 325. in scholis Sophistarum, vel ab alio quodam Alcibiadis inimico potius, quam ab Antiphonte Rhamnusio, scriptam iudicat. Quae coniectura non minus vana est, quam illa de Orationum superstitum *νοθείᾳ*, paulo ante a nobis confutata. Nam quid potest esse magis verisimile,

mile, quam Alcibiadem, aequalem Antiphontis, et Quadringentis, quorum princeps erat Antiphon, infensissimum, ab Antiphonte oratione acerbà esse laceratum? Atqui, quod PLVTARCHVS scribit, planissime confirmat ATHENAEVS *L.* XII. p. 525. B. elegans ex illa Oratione afferens fragmentum: *περὶ δὲ τῶν Ἀβυδηνῶν Ἀντιφῶν ἐν τῷ κατ' Ἀλκιβιάδε λοιδορίας ἕνεκεν· ἐπειδὴ ἐδοκιμάσθης ὑπὸ τῶν ἐπιτρόπων, παραλαβὼν παρ' αὐτῶν τὰ σαυτῦ χρήματα, ᾤχε ἀποπλέων εἰς Ἄβυδον, ἔτε χρέος ἴδιον σαυτῦ πραξόμενος ἐδέν, ἐδὲ προξενίας ἐδεμιᾶς ἕνεκεν· ἀλλὰ τῇ σαυτῦ παρανομίᾳ καὶ ἀκολασίᾳ τῆς γνώμης ὁμοίως ἔργων τρόπως μαθησόμενος παρὰ τῶν ἐν Ἀβύδῳ γυναικῶν, ὅπως ἐν τῷ ἐπιλοίπῳ βίῳ σαυτῦ ἔχῃς χρῆσθαι αὐτοῖς.* vbi Celeb. RVHNKENIVS pro *παρανομίᾳ* legere malit *παροινίᾳ*· quae vox centies iungitur cum *ἀκολασίᾳ*. Pertinet ad hanc emendationem stabiliendam locus PLVTARCHI *Alcibiad. p. 211.* D. *ὅπως αὐτὸς ἐπ' ἀδείας χρηματίζηται περιπλέων, καὶ ἀκολασαίνῃ μεθυσκόμενος, καὶ συνὼν ἑταίραις Ἀβυδηναῖς, καὶ Ἰωνίσιν.* Titulos orationum Antiphontiarum, a viris eruditis collectos, augere licet e Grammaticis ineditis, qui sunt penes Celeb. Praesidem. *Antiatticista MS.* Ἀναδέξαι, οἷον ἐγγυῆσαι. Ἀντιφῶν πρὸς Πολύευκτον. Δεινόλοχος Ἀλθαία. *Lex. Sangerm. MS.* Ἀθήναζε. — καὶ τὸ παρὰ Ἀντιφῶντι δὲ ἐν τῷ περὶ ἀνδραποδισμοῦ λόγῳ ἐπίσασιν ἔχει ὡς ἡμαρτημένον τὴν σύνταξιν. γράφει δὲ ἔτως· ἐπειδὴ γὰρ ἀπῴκεις τὴν Ἀθήναζε, καὶ ἀπηλλάγην τῆς κληρυχίας. In iisdem Grammaticis alia etiam Antiphontis fragmenta reperiuntur. *Lex. Sangerm. MS.* Ἀδυναμία ἐρεῖς, ὡς Δημοσθένης, καὶ ἀδυνασία, ὡς Ἀντιφῶν, καὶ Θουκυδίδης, καὶ ἀδυνατία, ὡς Δεινόλοχος. † Ἀκόλουθα, Ἀντιφῶν τὰ ἑπόμενα καὶ σύμφωνα. † Ἀποδικεῖν, ἀντὶ τῦ ἀπολογεῖσθαι. ἔτως Ἀντιφῶν. Vltima glossa etiam est apud

SVIDAM, vbi pro Ἀντιφῶν male legitur Ἀντιφάνης, quamuis cum SVIDA conueniat EVDEMVS *Lex. Rhetor. MS.* quod Celeb. Praeses Parisiis euoluit. De horum nominum permutatione *Cap.* IV. nonnulla dicemus. *Lexicon Reg. MS.* Τρίτην ἡμέραν χρὴ λέγειν, ἐχὶ τρεῖς ἡμέρας. Ξενοφῶν· καὶ τρίτην ἡμέραν αὐτὸ τοῦτ' ἔπραττον. Μένανδρος· ἡμέραν τρίτην ἐπεκώμασεν ἡμῖν. Ἀντιφῶν· ἐχθὲς μετὰ πέντ' ἔπινον, ἡμέραν τρίτην μεθ' ἑπτά. *Antiatticista MS.* Ἀπειθαρχία. Ἀντιφῶν πολικῶν. Corrigendum videtur πολιτικῶν, vt eius λόγος πολιτικὸς intelligatur.

CAPVT QVARTVM.

Plures Antiphontes clarum in literis nomen habuerunt; ex quibus duo inprimis ipsorum veterum negligentia, dicam, an insciția, cum Antiphonte Rhamnusio saepe confudit. Nos breuiter de illis disputemus, omissis, quae IONSIVS, FABRICIVS, et Cl. TAYLORVS *Lect. Lysiac. C.* VII. occuparunt, et, qui secernendi sint, accurate secernamus.

I. Antiphon τερατοσκόπος, siue *haruspex*, quem ab Oratore bene distinguit HERMOGENES *de Form. Orat.* II. *p.* 497. Rectissime etiam SVIDAS: Ἀντιφῶν, Ἀθηναῖος, τερατοσκόπος, καὶ ἐποποιὸς, καὶ σοφιστής. ἐκαλεῖτο δὲ λογομάγειρος. Idem ex alio auctore: Ἀντιφῶν, Ἀθηναῖος, ὀνειροκρίτης. περὶ κρίσεως ὀνείρων ἔγραψε. TZETZES *Scholio MS.* quod supra dedimus, eum scribit Alexandri tempore vixisse. Sed multum fallitur. Vixit enim tempore Socratis, et invidus diuini viri obtrectator, discipulos ab eo auertere tentauit. DIOGENES LAERT. II. 46. ex *Aristotele*: Σωκράτει τις, καθ' ἃ φησὶν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ Ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀντίλοχος Λήμνιος, καὶ Ἀντιφῶν ὁ τερατοσκόπος. vbi vid. MENAGIVM. Socratis

tis cum hoc Antiphonte contentionem copiose et eleganter explicat XENOPHON *Memorab.* I. 6. Sed PLVTARCHVS et PHOTIVS, quadrata rotundis miscere soliti, haec non de Antiphonte *Onirocritico*, sed de *Rhamnusio* accipiunt. PLVTARCHI verba haec sunt: *διατριβὴν δὲ συνέζησε, καὶ Σωκράτει τῷ φιλοσόφῳ διεφέρετο τὴν ὑπὲρ τῶν λόγων διαφοράν, οὐ φιλονείκως, ἀλλ' ἐλεγκτικῶς, ὡς Ξενοφῶν ἱστόρηκεν ἐν τοῖς Ἀπομνημονεύμασιν.* Frontem perfricuisse hominem dicas, qui tale quid a XENOPHONTE scriptum affirmare audeat. Nam XENOPHON inducit Antiphontem cum Socrate disputantem, non vt virum probum, et veri inuestigandi studiosum, sed vt improbum cauillatorem. Veniebat in mentem, forte PLUTARCHO succurri posse, transponendis eius verbis, *ἐκ ἐλεγχτικῶς, ἀλλὰ φιλονεικῶς.* Sed hanc medicinam faciendam esse negat eiusdem erroris socius, PHOTIVS: *διενεχθῆναι δὲ φασὶν αὐτὸν καὶ Σωκράτη τῷ φιλοσόφῳ, ἐ πρὸς φιλονεικίαν, ἀλλὰ πρὸς ἔλεγχον ὁρῶντα.* Habeant igitur secum errores suos, seruentque sepulcro. Ipse vero XENOPHON satis indicat, illam disputationem non cum Antiphonte *Rhamnusio* institutam fuisse, sed cum Antiphonte *Onirocritico*, appellans eum *σοφιστὴν*, qui titulus huic Antiphonti tribui solet, non *Rhamnusio* oratori. Sed omnem controuersiam dirimit grauissimus auctor, ARISTOTELES, cuius testimonium paulo ante ex DIOG. LAERT. laudauimus. Quo magis miramur, inter ipsos Veteres hac de re non satis conueniisse. Nam, teste ATHENAEO L. XV. p. 673. F. *Andrantus* librum scripserat, compilatum postea ab *Hephaestione*, Grammatico, *περὶ τῶ παρὰ Ξενοφῶντι ἐν τοῖς Ἀπομνημονεύμασιν Ἀντιφῶντος.* Vidimus *Cap.* I. HERMOGENEM Antiphonti *haruspici* tribuere *λόγον περὶ ἀληθείας, λόγον περὶ ὁμο-*

ὁμονοίας, λέγον πολιτικὸν. et λόγος δημηγορικός Sed vt posteriores orationes ad *Rhamnusium* referendae videntur, sic omnium consensu libri περὶ Ἀληθείας tribuuntur Antiphonti *Sophistae*. Grammatici veteres apud FABRICIVM *duos* huius operis *libros* laudant. Sed *liber decimus sextus* in *Schol. MS. Demosthenis*, quod WOLFIVS ad eum affert p. 1151. citatur: ἐν τῷ ις̄ τῆς Ἀληθείας ὁ αὐτὸς κέχρηται καὶ ἐπὶ διακοσμήσεως. Hanc tamen lectionem dubiam faciunt HARPOCRATION et SVIDAS v. Διάθεσις, apud quos eadem glossa reperitur, legentes ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς Ἀληθείας. Videtur igitur opus in duos tantum libros diuisum fuisse. Vir praeclarus, IOANNES ALBERTI, cuius morte Graecae literae ingens damnum fecerunt, hunc Antiphontis librum laudari putabat ab HESYCHIO in hac glossa: Γλαυξ ἐν πόλει. παροιμία· ταῖς ἀληθείαις ἀνέκειτο γὰρ ὑπὸ Φειδίᾳ ἐν τῇ ἀκροπόλει. cuius opinionem non sequar. Nam primum hic liber nusquam vocatur αἱ Ἀληθεῖαι, vbique ὁ περὶ Ἀληθείας, vel ὁ Ἀληθείας, sicut ipse HESYCHIVS alibi laudat: Ἄβιος. πλήσιος, ὡς Ἀντιφῶν ἐν Ἀληθείας ά. Deinde ταῖς ἀληθείαις omnino capiendum pro *re vera*, vt bene cepit KVSTERVS. Similiter *Scholiastes Aristophanis ad Vesp.* vs. 1081. Γλαῦκα δὲ, τὴν Ἀθηνᾶν. φασὶ δὲ, κατὰ τὸ ἀληθὲς γλαῦκα διαπτᾶσθαι, τὴν νίκην τοῖς Ἀθηναίοις ἀπαγγέλλουσαν. Tradit ORIGENES *adu. Celsum* IV. *p.* 176. Antiphontem hoc libro *prouidentiam sustuliſſe*: καὶ Ἀντιφῶν, ἄλλος ῥήτωρ νομιζόμενος εἶναι, καὶ τὴν πρόνοιαν ἀναίρων ἐν τοῖς ἐπιγεγραμμένοις περὶ Ἀληθείας παραπλησίως τῇ Κέλσου ἐπιγραφῇ. Ad hanc eius doctrinam referendum videtur fragmentum, quod extat apud SVIDAM: Ἀδέητος· ὁ μηδενὸς δεόμενος, καὶ πάντα ἔχων. Ἀντιφῶν ἐν ά. Ἀληθείας· Διὰ τοῦτο ὑδενὸς δεῖται, ὅτε προσδέχεται ὑδενός

νός τι, ἀλλ' ἄπειρος, καὶ ἀδέητος. vbi pro ἄπειρος forte emendandum εὔπορος, quamuis vulgata lectio etiam explicari possit. Haec autem quin Antiphon *de Deo* dixerit, nihil est, quod dubitemus. Vides igitur, Epicurum hanc pestiferam doctrinam non per se inuenisse, sed dudum ab Antiphonte inuentam, in philosophism suam transtulisse. Vid. DIOGEN. LAERT. X. 139. et ibi MENAGIVM. Epicuri sententiam elegantissimis versibus explicat LVCRETIVS II. 645-650.

Omnis enim per se Diuûm natura necesse est
Immortali aeuo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, seiunctaque longe.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Hanc obseruationem, a Celeb. RVHNKENIO mecum communicatam, nefas fuisset omittere. Fragmentis libri περὶ Ἀληθείας, quae apud varios Grammaticos reperiuntur, adde hoc ex *Lexico Sangerm. MS.* Ἀφροδίτης, ἀντὶ τῆς Ἀφροδισίων. ἔτως Ἀντιφῶν ἐν Ἀληθείας πρώτῳ.

II. Antiphon Tragicus, qui vixit apud Dionysium Seniorem, Siciliae Tyrannum, eiusque tragoediis reprehendendis perniciem sibi arcessiuit. Celebratur aculeatum eius dictum, quo Dionysium grauiter offendit. Nam quaerenti Dionysio, quodnam aes optimum esset, respondit, ex quo Athenienses Harmodii et Aristogitonis statuas conflassent. Vid. PLVTARCH. *de Adul. et Am. discr. p.* 68. A. *de Stoicor. repugn. p.* 1051. C. Haec PHILOSTRATVS *p.* 500. PSEVDO-PLVTARCHVS et PHOTIVS male referunt ad Antiphontem Rhamnusium, quos satis confutat diuersa vtriusque aetas. Ad hunc Tragicum etiam pertinet, quod narrat

ARI-

ARISTOTELES *Rhet.* II. *p.* 76. Ἀντιφῶν ὁ ποιητὴς μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίε, εἶπεν, ἰδὼν τὲς συναποθνήσκειν μέλλοντας ἐγκαλυπτομένες ὡς ἥσαν διὰ τῶν πυλῶν, τί ἐγκαλύπτεσθε, ἔφη· ἢ μὴ αὔριόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τέτων. Ex Antiphontis dramatis laudatur Ἀνδρομάχη ab *Auctore Ethic. Eudem.* VIII. 4. Μελέαγρος ab ARISTOTELE *Rhet.* II. p. 108 Quibus IONSIVS et FABRICIVS male addunt Πλήξιππον. Nam ex ARISTOTELE *Rhet.* II. p. 63. apparet, *Plexippum* non drama fuisse, sed personam inductam in Μελεάγρῳ. De *Plexippo* singulari libello disputasse *Andrantum*, Grammaticum, docet ATHENAEVS L. XV. p. 673. F. Hinc Cel. Praeses emendabat POLLVCEM X. 63. pro ἐν Ἀντιφάνες Μελεάγρῳ legens ἐν Ἀντιφῶντος Μελεάγρῳ· cui eadem medicina adhibenda videbatur VII. 57. vbi Ἀντιφάνης ἐν Μηδείᾳ laudatur. Forte Antiphontis Μηδεία non aliud drama fuit, quam Ἰάσων, quod, nusquam ab editis scriptoribus memoratum, citatur ab *Antiatticista* MS. Διετίθεν διετίθεσαν. Ἀντιφῶν Ἰάσονι. Idem Grammaticus bis Antiphontis Ἀδωνιν laudat: Ἀκλησίαν. Ἀντιφῶν Ἀδώνιδι ὁ αὐτὸς, Κυκλήρωμα, ἀντὶ τῦ κατέρθωμα. Et alio loco: Ἀνὰ μέσον. ἀντὶ τῦ ἐν μέσῳ Ἀντιφῶν Ἀδώνιδι. Sed alibi hanc fabulam Antiphani tribuit: Κατάλυσγ. καὶ τῦτο ἐπαιτιῶνται. Ἀντιφάνης Ἀδώνιδι. Sic incerti sumus, vtrum ANTIPHON, an ANTIPHANES, *Adonidem* docuerit. Malim tamen hoc drama ad *Comicum*, quam ad *Tragicum*, referre, propterea quod alii etiam Comici, PLATO, ARAROS, PHILISCVS idem argumentum tractarunt. Haec pluribus adstrui possent tum ex aliis scriptoribus, tum ex praeclaro illo *Antiatticista MS.* qui aliquando, vt speramus et optamus, in lucem vindicatus, veterum Dramatum rationi nouum lumen affundet. Perpetua vero est

ro est apud alios etiam scriptores *Antiphontis* et *Antiphanis* confusio. Sic apud STOBAEVM *Serm.* XXI. *p.* 176. et *S.* LIX. *p.* 382. alii Codd. Ἀντιφάνες habent, alii Ἀντιφῶντος, notante C. GESNERO Apud eundem *Serm.* XXIV. *p.* 192. similem varietatem e MSS. Parisinis adnotauit immortale Batavi nominis decus, HVGO GROTIVS in exemplari suo, quod seruat Bibliotheca publica Leidensis. SVIDAS: Τρίτῳ καὶ τετάρτῳ ἔτει. ἀντὶ τοῦ περὶ τριῶν καὶ τεσσάρων ἐτῶν. ἔτως Ἀντιφάνης. At PHOTIVS *Lexico MS.* Ἀντιφῶν. Haec nominum permutatio induxit STEPH. BERGLERVM ad Aristoph. *Nub. vs.* 1419. vt Antiphontem vocaret *Comicum*, qui *Tragicus* fuit: quamquam nec Antiphonti *Tragico*, nec Antiphani *Comico* dictum illud a Scholiaste *l. c.* laudatum, γηροτροφία πρόσοικε παιδοτροφία, tribuendum erat. Nam ad Antiphontem Oratorem diserte refertur a CLEMENTE ALEX. *Strom.* VI. *p.* 748. Hactenus de Antiphonte Tragico.

III. Antiphon, Medicus, qui scripsit σύνοψιν τῶν κατ' ἄνθρωπον. POLLVX II. 224. Ἀντιφῶν δὲ ἐπίπλην) ἀρσενικῶς καὶ ἀδετέρως λέγει ἐν τῳ τῷδε σύνοψις τῷι κατ' ἄνθρωπον. Hanc lectionem e Codice Antwerpiensi profert Vir Graece doctissimus, IOACH. KVHNIVS, e qua, licet corrupta, tamen euidens est, laudari Antiphontis σύνοψιν τῶν κατ' ἄνθρωπον. Quod autem POLLVX illius auctoritate vtitur, inde colligi potest, scriptorem et elegantem et vetustum fuisse. Alia quoque nobis in POLLVCE, quae ex hoc Antiphonte sumta sint, deprehendisse videmur. v. c. II. 41. τὸ δὲ ποιεῖν τὸ νόσημα, καρῶν Ἀντιφῶν φησί. *ibid.* 215. τῷ κέντρῳ ἐξαιμάσσειν, καὶ ἔναιμον, καὶ ἐναιμῶδες παρὰ Ἀντιφῶντι. *ibid.* 223. καὶ Ἀντιφῶν δὲ εἴρηκεν· ἐν ᾧ τό

ὦ τὸ ἔμβρυον αὐξάνεταί τε καὶ τρέφεται, καλεῖται χορίον. Apud alios scriptores huius Antiphontis nullam mentionem inuenimus.

IV. Antiphon, Philosophus et Mathematicus, qui scripsit *de quadratura circuli*, et *de rerum natura*, laudatus ARISTOTELI *Sophist. Elench.* I. 10. et Phys. I. 2. eiusque Interpretibus, THEMISTIO, SIMPLICIO, PHILOPONO, item PLVTARCHO *de Placit. Philosoph.* II. p. 901. PROCLO *in Platonis Timaeum* p. 4. STOBAEO *Ecl. Phys.* I. p. 55. 59. EVSEBIO *Praep. Euang.* XV. p. 838. 851. aliisque.

V. Antiphon, recentior, vt videtur, superioribus, qui scripsit περὶ τῶν βίων τῶν ἐπ' ἀρετῇ πρωτευσάντων, laudatus DIOGENI LAERTIO VIII. 3. et PORPHYRIO *de vita Pythag.* p. 9.

VI. Antiphon, scriptor libri περὶ Γεωργικῶν, quem vnus citat ATHENAEVS L. XV. p. 650. E.

I. I. R.

I. I. R. PRAEFATIVNCVLA AD SPECIMEN ANNOTATIONVM HAVPTMANNIANARVM AD ANTIPHONTEM.

Io. Gotfried Hauptmann, V. S. R. Theologiae Doctor, et illustris Ruthenei apud Geranos Director, cum aliis multis ingenii monumentis nobilitatus est, de literarum elegantiorum copiis, quibus abundat, testantibus, tum et spe, quam de se iam multis abhinc annis mouit edendi corporis huius, in quo tundendo et poliendo cum maxime sudo et algeo, graecorum oratorum minorum. Quod eius propositum praeter illam Lycurgeam orationem, ab ipso secundum Taylorum recusam, minora quoque alia complura testantur opuscula, per occasiones temporum scholiasticorum Gerae ab ipso edita, de quibus alio loco a me expositum esse commemini. Disciplina eius quodam vsus, Niclasius, V. C. Gymnasii Luneburgensis Rector, cum certiorem me per literas fecisset, penes Hauptmannum esse libellum inuentu rarissimum, exemplum Antiphontis olim, quinquaginta fere annis ante, a S. T. Bayero edi coepti, quem Bayerum, Regiomontanum, in patria primum, deinde apud Petropolitanos professorem egisse constat, sed postmodum destituti et abiecti, vna cum annotationibus ad Antiphontem, non Bayeri modo, sed etiam Io. Matthiae Gesneri, qui apud Gottingenses in luce literarum clarissima decessit; rogaui Hauptmannum, vt schedas illas Bayeranas

atque

atque Gesneranas, et si quid ipsi praeterea ad Antiphontem annotationum in promtu esset, ad me mitteret. Misit itaque Hauptmannus V. C. ad me superiori anno 1772. ferme exeunte, cum annotationes ad Antiphontem meas iam in mundo exaratas, specimen suarum ad hunc sophistam copiarum, ad p. 652. 3. editionis nostrae procedens. Quod specimen ego hic, quale accepi, reddam, nihil meorum immiscens, nisi pauca quaedam, vncis [] inclusa, quo dignosci possent ab Hauptmannianis; quod e re lectorum ducerem, eos admoneri de locis illis, in quibus coniecturae virorum doctissimorum cum emendationibus Henrici Stephani consentientes fere venirent. Viri enim tres modo a me laudati, Bayerus, Gesnerus et Hauptmannus, Aldino exemplo solo instructi carebant exemplo Stephani. nam Hanouiensis editio, quae penes Bayerum et Hauptmannum quoque fuit, cum Stephanicae vmbra, et illa ne fida quidem sit, pro nulla est habenda. Quo factum est, vt passim locorum in mendis Aldinae tollendis laborent, quas Stephanus duobus pene seculis iam ante sustulerat. Accipite ergo iam, lectores, specimen operae a Bayero, Gesnero et Hauptmanno Antiphonti nauatae. quod hoc est. Verba sunt Hauptmanni omnia.

Praemittuntur commentationes. 1. elogium Antiphontis auctum et correctum. 2. de Scriptis, singulatim orationibus, Antiphonteis. 3. grammatica et dialectica Antiphontis. 4. contemplatio Graeciae geographica ad Antiphontem illustrandum. 5. Antiphontis archaeologia. 6. logica Antiphontea. 7. doctrina morum ad sententias Antiphontis. 8. eiusdem rhetorica. 9. orationum dispositiones. sub contextus graeci finem adduntur indices tres 1. vocabulorum

fusior,

fusior, quae simul illustrantur. 2. nominum propriorum. 3. rerum.

605. 2. [editionis nostrae Lipsiensis, nam ad eam accommodaui numeros Hauptmanni, qui non paginas vllius editionis, sed membra minuta, seu paragraphos, numerauerat, in quas Antiphonteas reliquias conciderat.] Gesnerus praefert ἔχει μοι. retinet vero pariter editio Hanouiensis ἔχοιμι, et Bayeri. Si quid mutandum, scriberem ἔχομαι, quia casus primus antecessit, et indicans modus sequitur.

3. ἐπισκήψαντος] de hoc v. Harpocr. et Vales. ad eum locum.

7. τύχη] de Fortuna v. Clericus Art. Crit. T. I. P. II. sect. 9. cap. 9. p. 226. 232. vbi quid τύχη et εἱμαρμένη, perquiritur. Conf. Benzii Thes. p. 1. 10.

11. καθεζᾶσιν] lege καθιζᾶσιν in praesenti.

606. vlt. pro ἀκυσίως lege ἀκουσίως. Aldum, vt Gesnerus recte monet, expressserunt interpretes, quod et facit Hanouiensis.

608. 1. ἀπήλλακτο — τῆς αἰτίας] Sic et Antipho in or. περὶ ἀνδροποδισμοῦ, cuius fragmentum nobis seruauit Lexicon Sangermanense MS. ἐπειδὴ γὰρ ἀπώκεις τὴν ἀθήναζε, καὶ ἀπηλλάγην τῆς κληρυχίας.

17. φαρμάκοις] venenis. Theocritus in Cyclope seu Idyll. 11. 1. sqq. Bion in fragment. 1. 2. Callimach. epigr. 49. 4. Sunt vero simul θεραπεύοντα Theocr. Idyll. 2. 15. Thomas Mag. p. 189. ed. Salmas. Tzetz. Chiliad. VIII. hist. 239. sqq. p 101. ed. Ald.

609. 1. γραμματίῳ] lege γραμματείῳ Conf. Pfeifer Ant. Gr. p. 253.

610. 15. ἠξίωσαν] v. Harpocr. v. ἀξιοῖ cum notis.

611. 6. καλός τε κἀγαθὸς] Lege Miscellanea noua Lipsi. VII. p. 105.

10. πυθομένη potest esse et partic. indef. 2.

quod et editio Hanou. praefert, cum recentior editor [is Bayerus est] proprium malit.

612. 2. cum editione Hanou. ponit Bayerus casum tertium ἐκείνῃ et αὐτῇ [vt et Stephanus dedit,] sed ad ἱκανὴ referri debet.

4. ὑπερέτημα Aldus et Bayerus legunt. [volunt dicere *dant* vel *exhibent*.] Sed est ὑπηρέτημα [quomodo iam dudum Stephanus edidit.] ὑπηρέτης dicitur, licet ab ἐρέτης *remex* descendat. Respondet autem διακονῆσαι.

613. 5. ἐτέθυτο] postquam ab ea sacrificata erant sacrificia. respondet aliquatenus Gallorum *tuer*.

614. vlt. ἐνέχει vel ἐγχέει infundit simul. hoc in magna familia munus pocillatorum. v. Acta societ. lat. T. II. p. 127-183.

616. 1. περὶ] merito παρὰ legit Gesnerus.

4. δεόμενος ὑμῶν] Gesnerus addit: subaudi vel adscribe πείθεσθαι. Nos quidem dubitamus ὑμῶν ita subsistere posse. Malumus itaque ad κακοτεχνῆσαι referre licet hoc verbum duplici sententia recipiatur, tum astutam et male artificiosam excusationem, et hinc absolutionem, tum callide conceptum parricidium, quod ipsa neutiquam euitare laborauit mentibus insinuans. Fit tamen id saluo meliore iudicio, quoniam inprimis locus ille vexatus Oedipum quaerit, nec nostra nobis plane satisfacit coniectura.

vlt. ὃ καὶ ποιήσετε] Gesnerus ὅ, τι ποιήσετε *quid facturi sitis*. vel *quid faciendum vobis putetis*. verumtamen respici potest ad antecedentem pellicis condemnationem.

617. 2. εὐβέλως lege pro ἀβέλως. nisi α sit ἀθροιστικὸν et αὐξητικὸν. Certe non imprudentiae mulier istaec accusatur oratione tota, sed impietatis et consideratae malitiae. quoties autem ευ et α confundantur, Mon-

Monteſalconius docuit. Retinens ἀβέλως editio Hanouienſis vertit *temere et impie.*

617. 3. δῦναι δίκην *puniri.* Lycurgus 21. 5.

9. ἡμετέροις] Hanouienſis et Bayerus malunt ὑμετέρους. [Iamdudum id Stephanus dederat, vnde Hanouienſis editor reddidit] Andocides 1. 155.

10. ταύτῃ] ſcil. ἐν αἰτίᾳ.

11. ὃ] forte ὃς. quod praeſens antecedit, non participium. Geſnerus legit ὁ δὲ.

618. 4. ἔτω καὶ legit *Homburgiſche vermiſchte Bibliothec* III. 541. ſqq. [Stephanus dudum ſic edidit.]

6. θάνατον] ſcil. ἀπέκτεινε. Geſnerus.

12. αἰδῆς τυγχάνειν miſericordiam conſequi Atticis. v. Caſaub. ad Sueton. Caligul. c. 29.

619. 6. τύχοι τιμωρίας] ſimilis generis meditationes et exempla paſſim inuenimus in ſacris. v. Ioſuae VII, 25. Iudic. I, 7.

620. 1. omiſſo πρὶν legerim φθάνωσιν ἀποθανεῖν. *niſi morte praeueniatur.* videtur autem hic ſcriptor mihi eam amare breuitatem, vt. quae propter dicat, ad ea iam reſpiciat. GESNER.

8. ἐπικαλῆν habet Aldus. nos malumus ἐπικαλῆσι. et pariter ab editione Bayeri confirmamur. Hanouiana quoque legit ἐπικαλῆνται.

11. ἐμοὶ μὲν] expoſitum igitur a me fuit negotium et auxilium praeſtitum, cum mortuo, tum legi. temere Miniatus *me igitur dirigit et mortuo opem ferre et legibus.*

pen. μέλειν habet Aldus. emenda μέλειν eo confidentius, dum et Geſnerum mecum ſentire video. Praefert Hanouienſis μέλλειν, ſed interpretatio *curae fore.* [Dudum ante Stephanus alterum λ detraxerat.]

622. vlt. χρὴ ταῦτα] leui transpoſitione facta ſententia clarior fieri poteſt. γινώσκοντας ἂν ὑμᾶς ταῦτα, χρὴ etc. GESNER. Nos opinamur poſſe

pariter participium infiniti locum occupare, vel εἶναι mente iungi.

623. 3. διώκωμεν] Suidas v. καταλαβεῖν laudat τὸν ἀναίτιον καταλαβόντας τὸν αἴτιον ἀφεῖναι.

vlt. ἅπαντος τοῦ] scil. ἕν. Bayerus hic solum incisum posuerat, iunctis post σαφέσατα * * [id est duobus asteriscis.] Gesnerus potius interpungit, et legit ἅπαντος ἓν μιάσματος ἀναχ εἰς ὑμᾶς, ἕως ἂν δυνώμεθα σαφέσατα ἐξ ὧν cum igitur omne piaculum in nos redundet, quam (quousque) poterimus planissime ex iis, quae cognouimus, demonstrare vobis studebimus — Sic et prae ἕως, ὡς et prae δυνάμεθα, δυνάμεθα praefert.

624. 2. ὡς] qua causa, siue ratione, vel τὶς.

625. 2. ἀφῆκεν] *dimisit.* respicit locus potius homicidam, qui capitis sui periculo facinus patrat, quam interemtum. subit is tale periculum cupiditate opum, honoris, vindictae, hinc vtilitatis cuiuscunque, quam dimittere non vult. Temere Miniatus: *nullus enim in extremo animae periculo constitutus praeparatam et acquisitam vtilitatem dimisit.* scribit hoc ipsum et praeter rem, et praeter orationis contextum.

624. 4. εὑρέθησαν] reperti forent homicidae, malefici seu latrones spoliato cadauere, si vel fuga sibi consuluissent, qualis locutio non infrequens. Iterum mire Miniatus: *pallium enim habere visi sunt.* ni respexerit ad ipsum cum famulo necatum, qui sensus valere posset, licet ille prior accommodatior ad sequentia videatur.

626. 6. ἀκόλεθος h. l. primarium nomen *pediseguum* notat. in perditis orationibus adhibetur et adiectiuum. Lexicon Sangermanense MS. Ἀκόλεθα. Ἀντιφῶν. τὰ ἑπόμενα καὶ σύμφωνα.

628. 6. γνῶναι αὐτὸς] Hic omissionis signa * * ponente Bayero, Gesnerus obseruat, pro τοῦτο, si legas

gas τῶτον, et pro αὐτὲς, αὐτὸς, non opus erit aſteriſcis. perfecta enim eſt ſententia. Quocum et nos facimus, licet in contextu nihil auſim mutare.

7. οἰκετῶν] leg. eſt οἰκότων [ſic.] docent haec, quae mox ſequuntur. GESNER.

629. 5. ἐπίγε] lege ἐπί τε GESNER. [Sic dudum ante iam Stephanus quoque coniecerat.]

630. 13. τιμωρῶντες αὐτῷ] vindictam necato quaerentes.

631. 1. πρὶν ἐργάσασθαι] ſignificat εἰ καὶ μὴ ἐργασάμενος. GESNER.

2. εἰκότερον] vero ſimilius fuiſſet, ſeu rei conuenientius, vt eiusmodi ſuſpicionem in me recumbentem haud ignorans, ſi quem et aliorum cognouiſſem inſidias ipſi ſtruentium, prohiberem potius ab inſtituto, quam vltro in apertas ſuſpiciones inciderem.

13. θάνατον] praeter cauſam Bayerus habet θανόντα, cum explicari debeat, *ipſam necis rationem indicarn, me homicidam eſſe.*

pen. ἔφθησαν περιδύσαντες] non aſſecuti ſunt ſcopum ipſos veſtibus plane ſpoliandi. quem ſignificatum etiam adoptat περιδύω.

632. 2. προτιμῶντες] ſalutem lucro praeferentes.

632. 3. ἀλλὰ nonnunquam ſimul interrogat. 2 Corinth. VII, 11. vel hortatur. Homer. Iliad. I. 338. 394. Actor. X, 20. Lamb. Bos Obſeru. Miſcell. c. 19. fine.

632. 5. ὡς οἶδε] deſeruerat hic Aldini codicis fidem Bayerus, quod et Geſnerus obſeruat, ſimul interrogandi ſignum accurate iungens, dum vertit: *numvero ne veſtium quidem cauſa interemtus ſit, ſed alios cum vidiſſet, maleficium aliud forte perpetrantes, ne ſceleris index fieret, ab illis interfectus fuerit, quis nouit? Scilicet non multo minus, quam ego, illum odio habentes.* Equidem arbitror prima verba conceſſioni ſed ἀλλὰ interrogationi ſeruire; quod et apud Lyſiam fieri, docebit

bit index, cum Lysianus [sic exarauerat Hauptmannus, volens fortassean Tayloranus dare] tum noster. Porro τὲς δὲ mihi coniecturam nouam incipit, omissione Graecis, nominatim Atticis, haud insueta. Conf. Orat. IV. §. 14. sqq. Editio Hanouiana post τὶς εἶδε ponit defectus signum, Miniatus autem inserit, *caeteris seruis in testimonio dicendo non creditis.*

632. pen. ἀναγιγνωσκόμενος est subornatus, institutus, persuasus. GESNER. Conf. Harpocr. ad h. l. provocans. Sic et Thomas Mag. εὕρηται παρ' Ἡροδότῳ ἀναγιγνώσκω, τὸ ἀναπείθω.

634. 3. ταυτὸν ἀντιλογισάσθω] similiter etiam ex aduersa parte rationes subducat. Quae sequuntur obscuriora sunt, sed eiusmodi paraphrasi explicanda. Dictum est ab aduersario probabilius esse me interfuisse caedi, quam ab ea abfuisse, vt eo maior inde fieret fides testimonio serui, qui me nominarit. Ego vero si caedem illi machinatus essem, quod tamen a cogitatione mea procul abfuit, potius insidiaturus ex tuto fuissem, ac mihi cauere maluissem, nec interesse operi, quam tanto cum periculo certo scire illum interemtum, vt ea causa me tantum in periculum coniicerem. GESNERVS. Equidem obscuritatem non sentio, vertens *neque potius non interfuisse, quam eius caedem coram cognouisse.* qui cognoscunt absentes, oblique quasi cognoscunt. Conf. Or. XI. §. 10. Benzii Thes. p. 465. sq.

635. vlt. pro λαφθεὶς legerem λειφθεὶς *relictus in vrbe.* pecuniariae rei damnatus, in vrbe manere potest, rei capitalis iudicatus exsilio mulctatur GESNERVS. At et λαφθεὶς esse potest tali causa cadens.

636. vlt. ξένον hunc singulari prolusione tractaui.

637. 2. δίκαιός εἰμι legitime idoneus. addantur quae paulo post §. 22. sequuntur. Plato principio Critonis. δίκαιοί ἐσμεν, σώσαντές σε, κινδυνεύειν τοῦτον τὸν κίνδυ-

κίνδυνον. id est δίκαιόν ἐστιν ἡμᾶς. quod Atticismo tribuit Clericus Art. Critic. T. .. p. 244.

637. 3. μεγάλα] scil. κατὰ μέρη grauem iniuriam patiens dixi causam, vel iniutiam propulsaui.

vlt. καταλαμβάνηται] quomodo sanus esse possit, aut explicari hic locus, non video. quod ideo notaui, quoniam reliqua sic satis intelligere mihi videor. GESNER. Equidem explico, si comprehendatur, aut intelligatur. siue quod dico, siue quod circumstat rem, non videbor interfeciisse.

638. 1. παντὸς τρόπου] omni modo respectuque.

3. πείθων in oratione politica Nostrum et ἀπειθαρχίαν posuisse, contendit Antiatticista MS.

8. πράττω] videtur aut vtrumque futurum, aut vtrumque praesens esse tempus debere. Sed defenditur merito nostra lectio. dum alterum reuera pertinebat ad imminentia seu futura.

vlt. πολλὰς] Claud. Salmasius Miscell. Defens. legit πολλοῖς.

639. pen. κατηγορεῖται] Gesnerus legit κατηγορῶνται.

641. 4. Aldinus Codex habet τυμφορὰν, sed obseruat nobiscum Gesnerus, hic potius errorem operarum, quam Atticismum esse. nimirum ista mutatio recentioris affectationis Atticorum cum reliquo scribendi more penes Antiphontem non consentit. [Dudum ante iam Stephanus vitium hoc operarum Aldi correxetat.]

642. 5. Intricatior sententia sic forsitan est explicanda. Nescio autem quo iure magis censendi sint insidias illi feciisse, qui minori erant in periculo, quam qui timebant vehementius. Si enim HIS timor et sceleris magnitudo sedare libidinem insidiandi potuit, multo magis ILLIS, vel cogitato iam scelere, periculum et probrum maius, impetum animi reprimere

debuit facinoris rationibus. Rationes facinoris voco, quod Antiphon vno vocabulo διαφορὰν [sic] noſtri vulgo *Intereſſe*. Maius eſt periculum facinoris rationibus, cum non tanta noſtra intereſt facinus perpetrare, quantum eſt periculum facinore perfecto. GESNER. Reſpicitur quidem III. 12. ſqq. nihilque patet difficultatis, quatenus ἐκ τοῦ ὅπως ἂν propoſitionem inciſam agnoſcamus, ac per *ich weiſs ſelbſt nicht wie*, vel *omnino*, *facillime*, *prorſus* explicemus. Habet autem et ordinem inuerſum *his*, *illis*.

649. 3. ἐστι] Auctor probare vult reum interfuiſſe h. m. Quamqnam enim, ſi abfuiſſet, non idem periculum ſubiret. qui enim ſuperſtes (λειφθεὶς lego pro ληφθεὶς) ſeruus illum argueret? tamen facinus minus proceſſiſſet. (poſt πρᾶσσειν intelligendum eſt ἔμελλε) nemo enim praeſentium miniſtrorum caedis non tardior ad facinus fuiſſet. Hanc eſſe ſententiam h. l. patet ex iis, quae reus reſpondet. GESNER. Reſpicit Geſnerus ad Or. V. c. 33. Nos certe putamus interrogationem etiam poſteriorem ἐμφατικωτέραν eſſe priorique conuenientiorem.

645. 2. παραχθῆναι. [ſic] pro παραχρῆναι legendum puto ἐπαχθῆναι τὴν γραφήν. quae formula ſolennis eſt. quam facilis ſit τῆς παρὰ et ἐπὶ confuſio non obſcurum eſt iis, qui ſcripturae veteris aliquam notitiam habent. ρ autem in θ mutari, praeſertim in MSS. non minus facile potuit. Nos ſolum auſi ſumus, nullius hic, aut difficillimi ſenſus παραχρῆναι, in παραχθῆναι, ſimiliter facilis, mutare.

vlt. ἐπιθέσεως] hic etiam Bayerus * ſignum defectus ponit, inuito codice. Geſnerus obſeruat *nihil abeſſe*, *neque corruptum eſſe puto*. κατ' ἄνθρωπον argumentatur auctor, vel potius ad abſurdum deducit reum hoc modo. Si ſuſpicionis metus illum potuit a conatu ſceleris reuocare, qui per ſcelus periculo ſe liberare potu-

potuit, multo magis alios quosque reuocare potuit. Ita vero nemo omnium insidias ei feciſſe existimandus est. Quomodo enim fieri potuit, vt quis eorum, qui in minori periculo erant, si magis, quam ipsum periculum, suspicionem metuebant, minoris, quam ipse reus, illam faceret αὐτὴν. pro αὐτῷ. Si igitur vera est ratio rei, nemo omnino scelus, de quo quaeritur, perpetrauit.

646. 5. ἐσὶ] fort. εἰσὶ.

647. 11. ἐκτρέψαι] in vos ipsos extendatis et deriuetis.

648. 8. ἀγνεύετε τὴν πόλιν] Harpocr. hanc locutionem allegat ex Antiphontis ἀληθείας δευτέρῳ p. m. 107. sq. collatis notis.

648. in argumento 2. αἰνιττόμενος] codex Aldinus habet ἐνιττ. forte per vitiosam aeuo medio latine scribendi consuetudinem in Graeciam a librario festinante illatam.

649. 1. ἀδικία] praestabit ἀτυχία, et auctor argumenti confirmat. hanc enim accusator a reo legitime culpari negauit.

649. 4. ἡμετέρα] malim ὑμ.

650. 6. ὑπεραπολογούμενοι potest omnino iunctim poni, vt Hanou. habet. seiunctim ponit Aldus.

650. 7. τῆς ἀληθοῦς] sententia haec est. remouent accusatores studiose suspicionem iustam, et causam pro illis dicunt, in quos ea conueniret, vt me reum peragere caedis eo nomine possint, quod nemo sit, ad quem ea suspicio pertineat. GESNER.

351. 4. ἐλεγκτὴς] Gesnerus adscripsit, *pro* ἐλεγκτὴ *lego* ἐλεγκτὴς, *licet adhuc nan agnoscant illud vocabulum eorum indices*, sed idem iam recepit Hanouiensis.

651. vlt. εὐτυχέντων] vix dubitem rescribere ἐντυχόντων *si quis caedi huic forte superuenerit.* Paulo post in eadem re συντυχόντα dicitur. GESNER. Ne-

que nos ita mutare dubitamus, quum et Miniatus, licet in contextu graeco nil mutans, ita verterit. [Dudum ante Stephanus ambas hasce mendas eluerat]

652. 3. ἀπολιπόντας] Gesnerus mauult ἀπολιπόντα, vt ad ἐδέντα παθόμενον referatur. sed exponi potest *tantum abest, vt omnes, iis desertis, abierint.*

Hactenus Hauptmannus. Cuius hac e scheda colligi quodammodo poterit, qualis futura fuisset Antiphontis editio a Bayero coepta, si telam hanc pertexere aut libuisset ipsi, aut per fata licuisset. Magna fuit huius editionis in libris et fama hominum exspectatio. id quod vsu venire solet, vitio humanae naturae, quam suspicio de rebus promissis, et absentibus, et ignoratis denique, ad leuitatem iactantiae, et immodestiam atque stultitiam exspectationis attollit, veritas praesentium et vsu certo exploratorum ad mediocritatem et aequitatem iudicii reuocat, inuidentia interdum adeo infra verum et conuenientem modum deprimit. Iuuat igitur hic loci paucis verbis ea proponere, quae facere non possum quominus de Bayerana Antiphontis editione opiner ex iis, quae me indagatio mea docuit super opusculo, pauciſſimis viso, cuius ne ipse quidem ego quicquam, praeter vnicum primum folium typis excusum, vidi.

Breuis expositio de Antiphontis editione a Theophilo Siegfried Bayero Regiomonti coepta, nec perfecta.

Theophilus Siegfried Bayerus, Regiomonte, seu Koenigsberga, vrbe primaria Porussiae, oriundus, aetate sua magna ingenii atque litterarum laude floruit, earumque monumentis et numero plurimis et praestantia spectandis nobilitatus est. Erat in eo mirificus ardor

ardor omnia scitu digna, praesertim paucis comperta, sciendi et explorandi, tenax memoria, ingenium excitatum, celeriter arripiens ea, quae scrutaretur, lectio multisaria, legendi et scribendi assiduitas infatigabilis, cultus dictionis, breuis vt sim, sitis gloriae bonis artibus quaerendae. Initio videbatur in studium antiquitatis Graecae atque Romanae incubiturus, vacatque dubio, hoc in stadio si perrexisset, eum ad metam eximiae gloriae suisse peruenturum. Sed Petropolitani rationes Musei, cui adscriptus postremam aetatis partem exegit, animum eius ad literaturam Sinicam detorquebant. Bayerus hic, homo ad nullum non genus literarum, quodcunque amplecteretur, ornandum natus, quum adhuc iuuenis in vrbe patria doceret literas elegantiores publice, cernens, iuuentutem academicam carere copiis libellorum graecorum, quos interpretans professor graecarum literarum gustu quodam imbuere suos tirones posset, cogitare coepit de scriptore graeco typis domesticis recudendo, qui cum cognitione dignus, tum non magnae molis, exiguoque aere parabilis esset, et facile manibus tractari gestarique posset. Nam eiusmodi scriptor in tabernis librariorum nullus tum prostabat. Haec illi agenti Antiphon occurrebat, nescio qui. Ecqui enim ego sciam cur Bayerus hunc potissimum delegerit, in quo scholas suas exerceret? Ego equidem, istic loci si fuissem, eiusmodi fundo non inaedificassem. Verum nostra denique nil refert scire, quicquid tandem seu casus, seu consilii ad Antiphontem mentem eius appulerit. Quicquid eius est, constat, Bayerum initio nihil aliud instituisse, neque operam dedisse, quam vt tironibus copiam praeberet exemplarium modico aere parabilium illius auctoris, cuius in exemplo eos et Atticismum, et Dialecticam veterum Sophistarum docere constituisset. Verum postmodum, vt fit, assiduitas tractationis animum

mum Bayeri ad commentarios quoque in Antiphontem conscribendum inuitabat. Quorum commentariorum numquid aut typis vnquam excusum fuerit, aut adhuc vsquam locorum in schedis lateat, me prorsus fugit. Etiam de latina Antiphontis reliquiarum interpretatione quod tradam, compertum nil habeo, quam Bayerus vtique nouam dare voluit. Ipsum illud denique non habeo pro certo affirmare, totumne textum Antiphontis graecum recuderint operae Koenigsbergenses gubernante Bayero, an ne ad hanc quidem metam processerint. Coepta est excudendi opera A. 1719. pluresque per annos extracta, seu torpore librarii sumtus erogantis, seu ipsius Bayeri inconstantia, quem operis male procedentis, molestiisque aliis ex aliis enascentibus interpellati, taedium tandem cepisse et animus ad nescio quae alia noua studia auocasse videtur, nouitate amabiliora, aut magis e re esse, siue sua priuata, siue publica, visa. Intercepit tandem hunc Bayeri conatum Antiphonteum, prorsusque exstinxit, mutatum vitae genus, ipso Petropolin translato, aliisque prouinciis praeesse iusso, in quibus aetatem, glorioseque vtique, degit. Chartae, quibus hic Antipho in officinis Koenigsbergensibus incusus fuit, sunt tenues parumque splendidae, forma earum est *Kleinoktav*, vt vulgo vsurpant. Operae cum Bayero contigissent illiteratissimae, mirum non est, si et ipsi mendas typographicas emendanti negotium crearunt longe molestissimum, et chartas nihilominus tamen mendis foedissimis coinquinarunt. Ecquam denique patientiam non expugnasset ille typothetarum lentor, vix annis singulis singula folia excudentium? Constat ex omnibus, Bayerum prouinciam hanc imparatum et festinantem, neque re diligenter pensitata, capessiuisse. Id quod ei vitio nequaquam verto. Nullam ipse sibi aliam perso-

nam

nam tum imponebat, Antiphontem edere parans, quam ludimagistri, qui rudem graecarum literarum popellum priuatis scholis docere decreuissent, interpretem autem publicum agere nondum animum induxisset. Hanc enim si personam sibi arrogasset, profecto neque famam suam ita periculo commisisset, maioremque et sui, et exterorum, et posterorum denique rationem habuisset. Carebat editione Antiphontis a Stephano curata, qua carens si quis hunc sophistam edere instituat, tantundem is agat, atque si quis digitis mutilatus literas exarare conetur. Mutauit quidem interdum Bayerus lectionem Aldinam, de quo ex auctoritate Hauptmanniani speciminis constat, verum aut in locis a Stephano iam dudum ante occupatis, aut non vbique locorum, vbi discedendum a lectione Aldina erat, et vbi Stephanus quoque iam dudum ab ea discesserat, aut denique non prosperrime. Haec ducebam mihi de Bayeri hoc conatu Antiphonteo arbitranda atque tradenda; quae tradidi bona fide, subiiciente conscientia mea, cuius ita sum certus, vt nullus dubitem, fore vt auctoritas mea cognitoris cuiusque aequi et rerum gnari calculum ferat. Testem praedicationis meae iam citabo exceptione omni maiorem, Bayerum ipsum, per literas cum Io. Matthia Gesnero de hoc opusculo suo Antiphonteo agentem. Prostant illae literae, ab Vhlio, V. C. Noribergae A. 1760. editae in Syntagmate aliarum, hoc cum elogio prodito: *Sylloge noua Epistolarum varii argumenti.* Huius Sylloges T. I. a p. 15. inde leguntur decem epistolae a Bayero ad Gesnerum missae, e quibus locos de Antiphonte commemorantes hic subiiciam.

EXCERP-

EXCERPTI LOCI E LITERIS TH. S. BAYERI, AD ANTIPHONTEM IPSIVS PERTINENTES.

p. 15. edit. Vhlianae. Ego tentabo numquid eius modi *in oratores meos* possim. Antiphon bene procedit. Sed non nisi graece eum edo. Notae et versio mea, cum auctiores tua et aliorum amicorum opera eruut, subsequentur. Andocides etiam ad duas philyras processit. Vtrumque enim simul edo, vt habeam, quos hic [Koenigsbergae] adolescentibus explicem. Ab infantissimo exordior. Inde procedam olim, vt ipsa eloquentia et maturitas ingeniorum processit. Ita puto ingenuorum adolescentium animos formare me posse ad aliquod de graecorum scriptorum stilo iudicium. Regiomonti VI. Cal. April. 1719.

Oratores meos] Nescio an ex hac dictione parum tuto colligatur, Bayerum, praeter Antiphontem, etiam reliquos omnes illos oratores graecos edere decreuisse, quos minorum appellatione complecti solet consuetudo loquendi. Videtur potius solos Antiphontem atque Andocidem designare.

Quae annotasti [Gesnere, ad Antiphontem] admodum mihi placent. Reliqua, quae annotasti, mitte obsecro. Iam habes exemplaris alteram partem; reliqua mittam alio tempore. Vsus sum in edendo libro eodem, quo tu vteris, Aldino. Vides quam difficile fuerit cum tot mendis et cum operarum fastidio negligentiaque pugnare eodem tempore. Et satis belle tamen cauimus. Nunc mihi se Hanouiensis editio obtulit, ita sane accurata, vt meam esse vellem. Sed vi-

tam

tam Antiphontis ab eo omissam doleo, *qui editionem curauit*. An quod censeret, Aldum, non veterem quemquam auctorem esse? Quod dicis, malle te *βίον Ἀντιφῶντος* dicere, quam *γένος*, id equidem et ego paene mallem. Sed eram *tum* timidior in mutando. Quod autem Ebraismi calumniam impingis illi voci, in eo Amplius censeo pronuntiandum. Nam videor mihi talem eius vocis significationem apud Graecos reperisse. Regiom. III. Cal. Nou. 1719.

qui editionem curauit] Omisit ille quidem, verum non sponte sua, sed ad exemplum Stephani, cuius codicem recoquebat.

tum] quum scilicet Bayerus operis suis imperaret, vt Antiphontis excudendi facerent initium.

Annotata [tua, Gesnere] in Antiphontem meum exspectare me iubes. Obsecro, mitte. Regiom. Cal. Sextil. 1720.

Meus Antiphon lentum negotium est. Iam diu nihil procuderunt operae, tum mea, tum illorum culpa. Si quid in eum tibi veniet in mentem, mitte ad me, vt simul edi possit. Regiom. VII. Idus Sept 1721.

p. 26. Antiphonis [sic] reliqua typis excudenda dedi, lentis vtique, et me ipso segnioribus. Tua in Antiphontem [sic] mihi perplacent. Sed mei asterisci, quod te fugit, non modo luxata loca, sed etiam quomodocunque, grauiter tamen, corrupta indicant, in quibus nolui meam coniecturam licentius immiscere, sed in coniectaneis meis expromere malui. In quibusdam locis, vbi aperta coniecturae ratio mihi constabat, non dubitaui emendare in textu. Si mihi ad manum Stephani, aut altera illa editio [Hanouiensis, ni fallor,] Antiphontis fuisset, tantum laboris cum stupiditate operarum non subiissem. Coniectanea mea adhuc disiectis schedis continentur. Ea cum primum excussero, meas emendationes tecum communicabo; quarum

quarum aliquae tuis aut sunt similes, aut prorsus conueniunt. In multis te auctorem referam, iisque praeclarissimis. Regiom. IV. Cal. Aprilis 1723.

Hi sunt illi loci, ex ea, quam dico Sylloge Vhliana a me excerpti. Sintne in illa altera collectione epistolarum Gesneriauarum, quam Klotzius prodidit, item in Opusculis Bayeranis, ab eodem Klotzio in vnum volumen congestis, loci adhuc alii his similes, ad Antiphonteum hoc negotium pertinentes, dicere non habens, qui ambobus illis Syntagmatibus Klotzianis caream, ablegare illuc necesse habeo eos, si quorum in manibus illa Syntagmata sint, et quorum interfit hac de re plura quaerere.

Expositis his, subiiciam Io. Taylori ad Antiphontem annotatiunculas, quas meis intexere oblitus tum fueram, cum oportunum esset. Prius enim, quam annotationes ad hunc sophistam meae iam excusae et absolutae prelo essent non animaduerti, Taylorum ad hunc quoque sophistam nonnihil strictturarum reliquisse exaratum in illo exemplari Stephanicae editionis Oratorum graecorum, quo ipse olim cum esset vsus adhuc in viuis superstes, nunc post eius fata Askewius V. C. ad me misit. Habent autem illae stricturae Tayloranae sic.

606. vlt. ἀκυσίας] f. ἀκυσίως.
607. 2. ἓν οἶδεν] f. εὖ οἶδεν.
608. 10. ἐν τούτῳ] H. Stephani schediasm.
626. 10. εἶχεν] f. εἶλεν.
628. 8. lege εἰκότων. [quod ego non intelligo.]
635. vlt. λαφθεὶς] f. λειφθεὶς.
641. 9. αὐτῆς] αὐτὸν.
657. 10. τετραλογίας] Hae vocantur, rectius δευτερολογίαι ab enarratore Aphthonii p. 12.

703. 11. ἀληθέστιν] non dubito reſcribere ἀληθεύειν, tum propter iſtud τῷ ψεύδεσθαι, tum ob facilem errorem in MSS.
708. 2. ἡμῖν] ὑμῖν.
715. 7. τᾶτο] f. ἕτερον. v. 132. 9.
717. vlt. αὐτᾶ] f. αὐτᾷ.
719. vlt. ἐδαπάνησαν] f. ἐτυμπάνισαν.
in argumento orationis de Choreuta verſu 5. Ερεχθῖδος] lege Ερεχθηίδος. v. p. 142. 27.
in orat. ipſa p. 761. 5. τοιᾶτω] f. τᾶτω.
765. vlt. κατηγορήσασιν] melius κατηγορῆσιν
767. 10. ὅσις ἂν ἄλλα] dele ἂν.
768. 5. καὶ Διονυσίοις] interpone ὅτι.
774. 11. ἡλιακὴν] f. ἡλιαίαν.
775. 5. τῇ ἕννη] detrahe alterum ν.
777. 2. ἕτοιμοι ϛαῖεν] l. ἕτοιμος εἴην. v. verſu 24.
782. 8. πάθητε] f. μάθητε.
18. ταύτη δὲ πεπεισμένον] lege τ. δὴ πεπ.
20. τίνες] l. τίνες.

Hactenus Taylorus.

Abſolutis itaque his alienis, addam ad ad extremum ea, quae mihi de meo addenda ſuperſunt.

Sophiſta eſt Antiphon, idemque pater quodammodo generis illius dicendi, vmbratici, minuti, vani, putidi, paene dixerim puerilis, quo ſcholae veterum conferbuere, quibus ingenia ad eloquentiam forenſem fingenda et armanda eſſent. Prima oratio, duaeque poſtremae earum, quae hodie ex Antiphonteis ſuperſunt, verſantes in cauſis veris, non mali ſunt commatis, neque ſine delectatione leguntur, ſatisque ſunt planae et perceptu faciles. Reliquae, perbreues, proluſiones magis, quam orationes, formulae ſunt, hoc agentes, vt fontes argumentorum in cauſis homicidii vtramque in partem agendis, illorumque argumentorum tra-

ſtandorum rationes demonſtrent; caeterum plus, quam par erat, ſubtiles et argutae, ſaepe locorum frigidae et ineptae, vbique paene locorum obſcurae et caliginoſae, rumpentes ei ingenium, qui neruos argumentationum meditatione conſequi, et laqueos captioſarum diſputationum enodare contendat. Ego genus hoc ſcriptionis a puero exoſus, tum temporis, cum ordo me ad interpretandum et enucleandum Antiphontem deferret, tralaticiam modo cum eo notitiam contraxeram. Quo factum eſt, vt annotationes ad eum conſcribens, ea feſtinans, et perfunctorie, in chartas coniicerem, quae ſub ſtilum venirent, vt ſolemus, inuita Minerua ſcribentes, aut ea tractantes, a quibus animus ſit alienior. Ita haud pauca tum mihi feſtinanti exciderunt, quorum me ſcriptorum poſtmodum poenituit, et contra praeteruidi alia, quae nunc vellem a me omiſſa non fuiſſe. Chartas, tam labe non vna deformes, cum typographis excudendas dediſſem, paulo poſt excuſas recuperabam. Ibi luſtrans denuo a me ſcripta, per occaſionem mendarum typographicarum tollendarum, vnaque Antiphontem ipſum relegens, ſed ea diligentia, cui in iſta typographorum vorticoſa veluti praecipitatione locus eſt, obſeruabam mente oculisque inter meditationem orationis graecae, et mendarum expurgationem ambigentibus, alia obelo digna, alia ſero ſuccurrentia. Nam in illis et temporis et ſpatiorum anguſtiis, neque errores reprehendere, neque praeteruiſa licebat addere. Quare, quod vnicum eiusmodi conditionis iniquitati remedium ſupereſt, eo nunc vtar, et perperam ſcripta retractaturus, et deficientia ſuppleturus. hoc eſt illa daturus *ſupplementa*, ad quae lectores paſſim locorum in ſuperioribus annotationibus ablegaui. Quod faciens, lectoresque et in primis editores Antiphontis, ſi qui ſecundum me erunt, etiam atque etiam rogo, vt in recenſendis atque caſtigandis

gandis animaduersionibus meis, humanitatisque et harum vna quoque accessionum memores, lapsibus hominis ignoscant, multitudine negotiorum vrgentium et veluti contorquentium ita districti, vt cauere nullo modo posset, quominus interdum rueret, atque in transuersum ageretur. Vbi resipui, et e trepidatione memet collegi, meos ipsmet errores protinus noscito, dataque oportunitate indicare, corrigere, deprecari propero. Cuiusmodi pudoris ingenuitatem atroci flagello exagitare, belluinum sit. Scripsi d. 9. Martii 1773.

p. 607. 5. breuiter sic dictum, planius et explicatius ita reddas. *παρὰ τῆς τέτων βασάνε ἐκ ἠθέλησαν εἰδέναι*, vel *πυθέσθαι*.

608. 6. nisi me Antiphontis archaismus reprimeret, hoc est, concisae dictionis consectatio, multa rotundandae et lubricandae orationi inseruientia, ipsa adeo saepe necessaria, elidens, suspicarer h. l. leg. esse *τί ποτ' ἔν ἀπελογ.*

613. 10. *διακονῆσαν* in accusat. leg. esse, penes me dubio vacat, sed interuenit ambiguitatis nonnihil de modo interpretandi. Nam praeter illum modum, quem in annotatione ad h. l. proposui, succurrit adhuc alius, qui praehabendus illi sit, an posthabendus, in medio reliuquam. Potest nempe vocabulum illud etiam reddi, *inter pocula miscendum atque ministrandum*, vt ab *ὑποθήκαις*, cum quo iam non cohaerebit, per interiectum comma sit dispescendum, idque vocabulum accipiendum, pro *ἐκ τῶν ὑποθηκῶν*, vel *κατὰ τὰς ὑποθήκας*.

616. 1. *ἀκλεῶς*] cadit ille inglorius, qui ab inimico tollitur imbelli, ignauo, ignobili, non aperta vi, sed ex occulto per insidiarum veluti cuniculos opprimente, fraude tam repentina et tam callida et coeca, vt tu neque pestem depellere, neque hostem vlcisci possis; praesertim si ab ea manu cadas, vnde par erat te

non ſolum mali nihil metuere, ſed vel maxime fidem atque praeſidium exſpectare, ab aliis impetitum.

616. 4. Defectus vnius parui vocabuli πείθεσθαι diu mihi tenebras obiecerat impenetrabiles, donec inciderem in locum huic ſimilem Noſtri, p. 792. 2. ἅπερ αὐτοὶ σφᾶς αὐτοὺς οὐκ ἔπεισαν, quae ipſi ſibi non credunt, vel in animum non inducunt, vt vera habeant, ταῦτα ὑμᾶς ἀξιοῦσι πείθειν haec vt vos vera credatis, contendunt vobis perſuadere. Eſt ergo loci huius noſtri haec vera lectio δεόμενος ὑμῶν πείθεσθαι, ἃ αὐτὴ ἑαυτὴν οὐκ ἔπεισε, μὴ κακοτεχνῆσαι. rogans vos, vt velitis [aut ſibi, aut matri ſuae] credere, aienti verum eſſe, quamquam ne ipſa quidem credit, ſcil. in hac re nulla mala fraude eam eſſe vſam. Et video nunc Geſnerum quoque prorſus eodem modo locum hunc emendaſſe, quamquam omittenda latina interpretatione dubium reliquit, quomodo locum putaret accipiendum et reddendum eſſe. Poſſunt verba ἃ αὐτὴ ἑαυτὴν οὐκ ἔπεισεν etiam ſic accipi, quam rem, ſcil. τὸ μὴ κακοτεχνῆσαι, abſtinentiam a mala fraude, ipſa non potuit ſibi imperare, et a ſe impetrare.

625. 3. ſeruandum ſi ducemus ἄν, leg. erit ἐκ ἔχοντες, non ſine particula inſtiante, quod ſic dictum idem erit, ac ſi dixiſſet more ſolito. ἐκ ἂν εὑρέθησαν ἔχοντες. nam ſi a latronibus peremti fuiſſent, cum veſtibus reperti non fuiſſent, ſed nudi, εὑρέθησαν ſine dubio ad peremtos erit referendum. Ad latrones enim ſi referatur, haec exſiſtat, multis modis abſurda, ſententia. *Nam ſi latrones eos iugulaſſent, reperti fuiſſent, latrones, habentes eorum veſtimenta.* primum iacentia exanimatorum corpora reperiuntur, non homines viui, deinde, neceſſe non eſt, fingere, latrones ibi locorum manſiſſe, vbi veſtes peremtorum potuiſſent notae eſſe. tum, neceſſe non magis eſt comminiſci, latrones veſtes hominum a ſe peremtorum corporibus

ſuis

fuis induiſſe. nam potuerunt eas etiam vendere. denique, ſi procul terrarum abiſſent, quis ibi veſtes ignotas noſcitaſſet, etiamſi eas geſtaſſent?

628. 5. Dubium penes me nullum ſupereſt, leg. eſſe τοῦτον μόνον ἔφη τῶν παρόντων γιγνώσαι αὐτὸς. (aut αὐτοῦ.) de toto globo ſicariorum, qui caedi interfuiſſent, neminem alium, praeterquam hunc, noſcitaſſe, vel, alius nullius vultum ſibi notum eſſe, praeterquam huius. αὐτοῦ ſi praeferas, erit id, non genitiuus, ſed aduerbium, *ibi*, ibi loci puta, vbi caedes patrata fuiſſet. Poſtmodum reperi Geſnero quoque eandem h. l. emendandi rationem in mentem veniſſe, eique Hauptmannum acceſſiſſe.

635. vlt. poſſit lectio λῃφθεὶς, quam in annotatt. damnaui, nihilominus tamen defendi, atque probari, hactenus puta, vt 1) περιγενόμενος accipiatur, non pro *cauſa ſuperior factus*, ſed *e iudicio vita ſalua domum reuerſus*. 2) vt λῃφθεὶς accipiatur pro καταλῃφθεὶς *damnatus*. verum an ſimplex λαμβάνεσθαι pari modo atque compoſitum καταλαμβ. vſurpetur, pro καταγιγνώσκεσθαι, adhucdum mihi non conſtat. Foret, his admiſſis et probatis, haec huius loci ſententia. Quod ſi autem ſpiritum ſaluum e iudicio reportaſſem, etiamſi damnatus, nihil tamen ideo verendum habebam, ne ad extremam paupertatem deciderem, quia amici, quibus abundo, collaturi fuiſſent ſtipem, vnde alimenta habuiſſem neceſſaria.

641. 12. f. leg. ὃς ἔμπνους ἀφεθεὶς τοῦτο κατεμαρτύρει.

642. vlt. ἀδικία bene ſi habet, ſignificat h. l. cogitationem pectus ferientem, quod tu patres, id ſzelus eſſe, tametſi occultum maneat, poenasque effugiat. Alias ſuſpicer de αἰκία. *foeditas et atrocitas ſupplicium*.

645. 7. αὐτῷ non recte ſum interpretatus. ſen-

sententia haec est. Eo titulo si postulat a vobis absolui sceleris imputatione, quod liquidum atque perspicuum sibi fuisset, si hic homo occideretur, in alium neminem, quam in semet, iucursuram esse suspicionem: (vnde consequatur, sedulo se fuisse cauturum, ne qui locus eiusmodi suspicioni aduersae aperiatur, manusque ab isto cohibiturum.)

645. 6. in locum ἃ si sufficiatur εἰ, tum punctum, quod est in calce huius paginae, cum commate erit mutandum. quo facto haec exsistet sententia. Nam si formido suspicionis in se incubiturae hunc auertere tum potuisset, cum ei extrema discrimina de vita fortunisque ob sacrilegii crimen amittendis imminerent, nemo certe alius huius peremti vitae fuisset insidiatus. Sed peremtus est. Ergo hic peremit. nam nemo alius libidine tollendi eius tentari potuit, praeter hunc.

646. 1. Si πῶς seruabimus, leg erit πῶς γὰρ οὐκ ἄν, cum particula infitiante. ecqui enim non magis duxisset aliquis, vitae peremti insidias a se nullas esse parandas, [aut abiiciendum sibi esse consilium ei insidiandi] quam hic reus duxit.

5. v. ταναντία etiam sic potest accipi, vt aequipolleat τῇ πενίᾳ. ἡ δὲ πενία καὶ ἡ ταπεινότης καὶ ἡ ἐλεεινότης σημεῖον ἐστὶ τοῦ μὴ ἀποκτεῖναι. Reus si pauper esset, egenus, nudus, miser, obscurus, contemptus, posset ex eo colligi, vel doceri, caedem ab eo peractam non esse. Res amplitudini et splendori fortunarum contrariae possent innocentiam eius indicare.

vlt. sententia, detractis argutiis sophisticis, haec est. Summa probabilitas est hominem de opulentia sua trepidantem, ne ea priuetur, facinus impium commisisse. h. e. hominem, de cuius nece nunc quaeritur, sustulisse.

649. 2. mallem nunc annotationem illam totam, ad h. l. adscriptam, in qua nihil sani est, abesse. Statim

tim ipſe expunxiſſem, ſi licuiſſet, e folio, quod adhuc muſteum a prelo mihi exhibebatur, ſphalmata typographica expurgaturo. Nam ſtatim animaduertebam. Offecit mihi hic error, quod αἰτιῶμαι pro paſſiuo haberem, quod h. l. eſt mediae vocis. Sententia plana eſt et obuia, vt nunc mirer, eam a me praeteruiſam tum fuiſſe. Sed oblitus nimirum ſuperiorum fueram, ad quae iſtaec reſpiciunt. Quam Infelicitatem accuſans ego, vel, de qua querens, non recte facio, ſed iniuriam Deae offero, ſi hos audio, meos accuſatores, vel, ſi vera nempe ſunt ea, quae hi dictitant. Reſpicit ad initium orationis proximae ſuperioris, ἡ Ἀτυχία ἀδικεῖται ὑπ' αὐτῶ. *Numen Infelicitatis hic violat calumniae ſuae iniquitate.* Conuenit iſti, quod hic legitur. Inimici mei me aiunt Infelicitati iniuriam facere queſtuum iniquitate.

651. 9. ſimplex et vera h.l. interpretatio haec eſt. Rogo numen Infelicitatis, e cuius iracundia in me ſaeuiente hi mihi inuidiam conflatum eunt, vt naturam ſuam mutare, h. e. partes ſuas cum partibus Felicitatis permutare velit. μεταξῆναι bene habet. opponit enim ſophiſta inter ſe iſta duo, τὴν Ἀτυχίαν, quae numen eſt, et ὑμᾶς, iudices.

vlt. ἐλεῆσαι] audebo enimuero, tametſi timidus, coniecturam proponere, quae, ſi probetur, huius loci ſalebras facillimo negosio, vnius literulae commutatione, complanare poſſit. Mutemus η cum ι. quas ambas literas in codd. mſtis graecis inter ſe ſaepiſſime permutari, res eſt in vulgum nota. prodibit ἐλείσαι. *miſerabilem reddere.* id quod ſententiae loci apprime conuenit. Sed negabis verbum graecum eſſe ἐλείζειν. fateor equidem id alibi locorum nusquam reperiri. verumtamen analogia non repugnat, et ſententia loci id plane flagitat.

652. vlt. τούτων quo redeat, dubium eſt, ad la-

tronesne, an ad iudices. Si ad latrones ea est sententia, quam in latina mea reliquiarum Antiphontis interpretatione reddidi. Sin autem ad iudices referatur, erit sententia istaec. Hi iudices si id potius facient, quod eos facere par est, et eorum personas decet, quam vt obsecundent aduersariis meis, iniqua postulantibus, absoluar omni suspicione. nam, primo loco, causa mihi nulla fuit eum vestium gratia perimendi. neque enim egenus, neque nudus sum. Secundo, infirmum est aduersarii argumentum de caedis promulgatione, voce praeconis facta. Collegerat ille sic. Latrones si caedem commisissent, praeco eam publice indicasset. et indici praemium condixisset. Quod factum non est. Ego latrones eum non occiderunt. Respondet defensor: ecquis pro certo nouit, huiusmodi praeconium factum esse, an minus? ecquis enim huic rei animum attendit?

654. 4. κυρίων] incipio nunc dubitare de veritate suspicionis meae, de ᾧ addendo. forte rectius tamen sit id omitti. in latinis quidem meis omisi, et sententia videtur sic planior fieri, et ad veritatem etiam propius accedere. Nam si accusatores huius causae, ildemque peremti vindices, eius fuerunt necessarii, qui fuisse videntur, fuerunt eius heredes quoque, et proinde cum reliqua hereditate famulum quoque adepti sunt, qui exspirans reum indicasse fertur.

659. pen. videntur verba sic esse ordinanda δρᾶν καὶ λέγειν. eo necessitatis adigunt, vt audeant, cum alia agere, contra quam nati sint, tum etiam causas in foro agere. vnus enim infinitiuus τολμᾶν regit ambos alteros ex ipso aptos δρᾶν et λέγειν. quid audent? 1) τἀ ἄλλα δρᾶν παρὰ φύσιν alia omnia agere, a quibus natura eos fecerit alieniores. 2) λέγειν verba facere in publico, indiserti cum sint et verecundi, et fori prorsus rudes.

vlt. dele ambas annotationes ad h. l. numeris

1. b. et

1. b. et 2 signatas. iisque istaec suffice: Pro ἥκιστα lege ἧχ ἥκιστα, et omnia plana erunt. ἧχ ἥκιστα non minime, litotis est, seu extenuatio, plus significans, quam nuda vocabula subiiciunt. inprimis, ἐν τοῖς μάλιστα. si quis vllus alius, vel maxime. τειθτος] h. e. ἀπράγμων καὶ ἡσύχιος. a strepitu fori, et a tumultu causarum abhorrens, et in quiete vitae priuatae atque otiosae delitescens.

662. pen. ἐκ τῆς ἁμαρτίας] possit quoque legi τὸ τῆς ἁμαρτίας [scil. ἔγκλημα] πρόδηλον [subaudi ἐστὶν] ὁποτέρᾳ ἐστὶν. vtri amborum imputanda sit culpa, paret. potest ἐστιν tam ad αἰτία, quam ad φόνος referri.

663. 7. ἐν τοῖς γυμναζομένοις, cum articulo, malim, vt conueniat ei, quod in continenti legitur τῶν ἀκοντιζόντων.

664. 3. χώρᾳ] imo vero χρόνῳ *temporis*.

668. 2. f. ἅπαντας ἅπαντα ἀναγκ. in neutro plurali. *omnes omnia cogit facere.*

671. 2. legi quoque possit προσκατεγνωκ. *praeterea quoque adhuc condemnatum.* non solum carendum mihi erit filio meo, sed etiam facere non potero, quominus eundem videam insuper caedis quoque voluntariae, in semet commissae, incusatum.

675. 1. ἃ οἱ νόμοι] talionem in corpore homicidae exsequendam.

677. 1. ad ἀπολεσάντων, si id probes, subaudi ἄν. dicere vult, si satis perspicio sententiam caliginosissimam. iudices, a quibus morti condemnati fuerimus, si non rursus ipsi quoque vrbe expellantur, religioni haud satis fiat a ciuibus, qui, nisi falso iudicio decepti fuissent, impuros perdidissent.

677. 8. μεταλαβητε bene habet, indicans tempus futurum. certo eueniat, vt vos scelus eius haud participetis.

680. 3. pro ταύτης possit quoque τέτων vel τούτῳ legi, vel potius. τῆς δὲ διαδρομῆς αἰτία ταύτης τὶς φαίνεται γενομένη; ecquam autem huius discursus causam constat fuisse?

684. 2. δαίμονες] nam Fors [ὁ δαίμων] hos voluit miseros esse. repugnare autem voluntati numinis impium sit.

685. pen. si ἀποκτείνει seruatur, tum ad τῷ βίῳ addendum erit ἀποζεῶν.

686. 4. ἣν non habet quo referatur. paret quidem referri ad δυσμένειαν vel τιμωρίαν. verum quodnam erit praedicatum huic ἣν subiectum? Aies εἰσάγονται esse. Recte vero. Atqui tum pendebit ὃ προσῆκον μίασμα. lababit constructio. Penes me dubium non est, post ἣν deesse κινοῦντες, vel παροξύνοντες, vel tale quid. quam saeuitiem numinum furialium irritantes et iniqui iudices, et falsi testes, eo quod idem scelus patrant, atque ipsi homicidae, ipsi suas in domos inducunt piaculum, quo vacare et poterant et debebant. Debebat etiam accusatores his annumerare. Verum de his seorsim in continenti subiicit.

692. 2. idem est ac si dixisset συγγινώσκομεν ὑμῖν, ὅτι διὰ τὸ βέλτιστον τὴν ἀκρίβειαν τῶν πραχθέντων μαθεῖν, ἀνέχεσθε ἀκούοντες.

693. 4. παρανομημένων] suspicio nasci possit de παροινημένων flagitiorum et malorum a crapula proficiscentium.

694. 6. siue ἀθεραπία siue ἀθεραπεία exares, neutrum bene graecum est. nam vt prius ab ἀθέραψ, ita posterius ab ἀθεραπεύω sit repetendum, quorum neutri cum linguae graecae rationibus conuenit.

7. ἔτι τότε δεινότερα] loco medii vocabuli malim τότων, ob praemissum ταῦτα.

696. 7. possit quoque locus sic emendari. παροινοῦντες φαίνονται. ὥστε ἡ ἡλικία ἐδὲν μᾶλλον — γίνεται,

696.

696. vlt. illa ſuperius a me annotata in medio relinquam; quae tum in chartas coniiciebam, cum dialecticam Antiphonteam minus callerem; quamquam ne nunc quidem calleo; neque tanti eſt vt perdiſcam. Videor mihi tamen aliquantulum in ea magis nunc profeciſſe. Expromam itaque coniecturam, quae in mensem venit locum hunc latinum facienti. Scilicet pro εἴτε leg. eſſe ſimpliciter εἰ. et ad πατάξας addendum, φονεύς ἐστι. Colligit ſic. vos, aduerſarii, paulo ante ſic arguebatis. qui vulnera alicui impoſuerit tam ſaeua, vt ſauciatus neceſſe haberet medicum arceſſere, cuius inſcitia eum tollit; ille aggreſſor necaſſe ſauciatum dicendus eſt. Hoc ſi verum eſt, verum item eſt alterum hoc meum argumentum. Qui verberibus ingerendis aliquem laceſſat ad reuerberandum, homicida ſui eſt, ſi reuerberantis vehementia modum excedens necem illi conſciuerit. Erit tum ὁ πατάξας p. 697. 1. non ὁ πρῶτος, ſed ὁ δεύτερος πατάξας. non verberator, ſeu rixae ſator, ſed reuerberator, ſeu acceptae iniuriae vltor. Et hanc argumentandi rationem in latinis meis expreſſi.

697. 1. ἐπιτρεφθῆναι] ob praemiſſum ὑμᾶς malim ἐπιτρέψαι. nam aegri ἐπιτρέπουσι medico, amici aegrotantis eum ἐπιτρέπουσι.

700. 3. ἀλλοτρία] fortuna aliena vti dicitur aliquis, qui rem gerit ſeu proſpere, feliciter, ſapienter, glorioſe, ſeu contra, non eo, quod ipſe rem ſic fuiſſet, vtramuis in partem, exſecuturus, ſi ſolus eam per ſe geſſiſſet, ſed, quod alterius alicuius, cum quo illi ea res communis fuit, interuenit, ſeu ſecunda fortuna, ſeu aduerſa, quae iſtum ſeu extulit et in ſublimi collocauit, ſiue deiecit et euertit. verbo, propter conſortium cum alio, merita illius participare. vt ſi pii centum e. c. eadem naue vecti cum vno impio, propter hunc vnum vna cum eo pereant.

700.

700. vlt. videtur locus ita esse corrigendus. τὸν μὲν γὰρ διώκοντα δίκαιον καταλαμβάνειν, [sine particula infitiante] nam accusatorem quidem ius et fas est condemnare eum, qui non perspicue docuerit, iniuria se fuisse laesum. τὸν δὲ [per delta, non per tau] φεύγοντα ἀνόσιον ἀλῶναι. reum vero condemnari sit nefas eum, qui non perspicue criminum incusatorum fuerit conuictus.

702. 1. Carent haec sententia sana. Nam si peremtus ipse fui fuit homicida, quid opus erat spem ostendere de vero homicida olim aliquando in lucem prodendo. Sin autem ab alio quopiam peremtus est, ecquis ille homicida est, si accusatus non fuit, qui negatur fuisse. Nemo enim alius interuenit. Ergone frustra istaec atque temere ita proiecta dicemus? Haud ausim affirmare. Quod si ergo sana his quoque inest sententia, videtur sophista iudicibus auctor esse, vt accusatores a se cum hac excusatione dimittant. O boni, non liquet, quinam huius peremti homicida fuerit. Nunc quidem abite domum, et ab huius rei persecutione desistite. Nam is profecto insons est. Saluum vobis semper manet ius vestrum peremti homicidam in iure persequendi, si quando per temporis longinquitatem fiat, vt is deprehendatur atque noscitetur. Quod quia futurum nunquam erat, quippe negatum, tantundem erat, atque accusatores honesta oratione, et cum ludibrio spei negatae, a foro suo blande ablegare.

703. 2. ἐξ ἴσου valet h. l. idem atque ἀξίως, ἀρμοζόντως, πρεπόντως. Sententia non haec est, vellem parem modum facundiae et experientiae mihi inesse, seu, me facundum pariter esse, atque sum rerum peritus, sed istaec, vellem mihi et facundiam et vsum rerum, praesenti huic meae calamitati parem atque

atque conuenientem esse, vt per illa hoc possem facilius et aequius hanc ferre atque depellere.

708. 4. Argut sic. Si licet in homicidas agere ex titulo κακεργίας, licebit ex eodem titulo in sacrilegos quoque et in proditores patriae agere. Verum hoc non licet. Nam sacrilegi iudicantur et puniuntur ex praescripto legum peculiariter de iis latarum, quae a legibus in maleficos latis diuersae sunt. quod idem quoque sic habet in proditoribus. Ergo, etiamsi homicidium non minus capitale sit maleficium, quam vllum aliud scelus, nefas tamen est hominem ex titulo κακεργίας maleficii in carcerem raptum, et inde in iudicium productum, ipso in iudicio condemnare, non vt κακοῦργον maleficum, sed vt homicidam. Nam peculiaria sua cuiusque sunt iura, tam maleficorum, quam homicidarum. Neque illos ex horum iure licet iudicare, neque hos ex illorum. Consequitur ex his, vocabulum κακοῦργος, quamuis stirpitus, hoc est per etymologiam, latissime pateat, nullumque non genus scelerum complectatur, tamen in vsu loquendi fori attico proprio tam late non patere, sed ad solos fures, latrones, grassatores, manticularios, vecticularios restringi, breuibus vt dicam, ad eos omnes, qui bona eripientes, vitam spoliatis saluam relinquunt. Male itaque faciunt aduersarii mei, me, alio crimine in ius vocatum, ex alio condemnantes.

709. 13. τὸ ναντίον] ergo non sub dio, sed sub tecto. Verumtamen forum, ni fallor, sub dio erat. Quis mihi nodum hunc expediet?

712. 1. καὶ ταῦτα παρελθών] participium hoc si accipis pro *transgressus*, locum habebit superior nostra ad h. l. annotatio. Sin autem pro *progressus*, legi possit κἀνταῦθα παρελθών *et huc progressus*, in hoc forum, in conspectum horum iudicum.

714. 2. post λέγειν deesse videtur καὶ ἐμαυτὸν ἀπο-

ἀπολογεῖσθαι ἀθυμότερον. Subaudi a communi ἔξειν ἔμελλον. habituri me erant ipſummet ad cauſam capitis dicendam ſegniorem ex animi deiectione, atque cunctantiorem, ſi corpus mihi a taediis carceris confractum et commaceratum eſſet.

714. 13. fort. leg. ὦ καὶ Ἡρώδης.

715. 2. Itane vero omnes eodem nauigio concluſi? Nil mirer Herodem in Thraciam nauigare cum mancipiis ibi diſtrahendis. non magis mirer Thracas homines Mitylenam nauigare ad mancipia ab eo emendum. Sed manſiſſent tum, aut illi in Thracia, aut hic domi. Cur autem et venditor, et emtores, et venalitii, ſimul omnes in Thraciam nauigent, cauſae probabilis nil exputo. Ergone mancipia aut vendenda ſine emtoribus a venditore illuc, vbi venire deberent, peruehi non poterant? aut iam vendita, et ab emtoribus ſuſcepta, non poterant a ſolis emtoribus in Thraciam perduci ſine venditore?

715. 5. num ante ταῦ deeſt epithetum aliquod δεινῷ, vel φοβερῷ, vel σφοδρῷ.

716. 16. εἰδὼς] data opera, deſtinato conſilio. ſubauditur ὅτι κατ' ἐμὲ μηύσει. ſuſpicor tamen poſt εἰδὼς deeſſe εἰδότα, vel potius συνειδότα. quem gnarum et conſcium mei facinoris eſſe ſcirem.

717. 6. τὴν ἀγγελίαν] ſubaudi ταύτην, hanc de Herode ſublato. Ad illa inſequentia ᾗ γὰρ ἂν ἀνχόμην πλέων ſubaudi εἰ ἔτει ἤδη τότε τῷ Φίνει με ἠτιάσαντο ἔτι ἐν τῷ Μηθυμναίων λιμένι ὄντα.

719. 9. ἐπεδήμεν poteſt quoque ſic accipi, verſabar, commorabar adhuc in inſula Lesbo, aut ibi loci, vbi Herodes coeperat deſiderari. Haec interpretatio ſi magis probabitur, quam illa ſuperius propoſita, contorta vtique, ſignificabit ἀνχόμην πλέων, diſceſſeram e portu Methymnaeo, vela faciens verſus Aenum.

14. τῶν προβάτων] articulum abeſſe malim,

aut

aut si seruetur, subaudiendum erit τῶν ἐν τῷ πλόῳ καὶ ὑπὲρ αὐτῦ ἐσφαγμένων. mactatarum in nauigatione, et pro ea, quo secunda et auspicata exiret.

16. τὸς ἀνθρώπους] quoniam sumebat orator, eos iudicibus iam notos esse, nil curauit certiores eorum notas edere. Alter eorum fuit seruus nescio cuius, alter ingenuus.

720. 2. καὶ videtur hinc in versum tertium, proximum subiectum, deducendum esse, ad hunc modum. ἕτος ὁ, πεισθεὶς ὑπὸ τέτων, καταψευσάμενος ἐμῦ. *hic falso me indicauit, ab his persuasus.* cohaerebit sic articulus ὁ, non cum proximo πεισθεὶς, sed cum remotiore καταψευσάμενος. quasi sic dixisset ἕτος ἐμῦ κατεψεύσατο, διὰ τὸ πεισθῆναι ὑπὸ τέτων. Tum pergit. παρέξομαι δὲ καὶ τέτων τὸς μάρτυρας. *praestabo horum quoque rerum testes*, prout superius expositarum exhibui.

721. 9. malim in futuro καταψευσόμενος legi. idem est, ac si dixisset ἐγίνωσκεν ὅτι καταψεύσεται, vel, in optatiuo futuri, καταψεύσοιτο. certo sciebat se mendacium in fraudem meam, e re sua, cum emolumento quodam suo, esse dicturum.

722. 1. τὸν μηνυτὴν] graue verbum h. l. nemo sanus et causa sua fidens, indicem sustulerit, ea testatum, quae iste imprimis indicari cupiat, et quo ad iudices adducendo aduersarium percellere, causamque suam firmare, quam maxime possit. ecquis vltro pugionem abiiciat, quo possit hostem confodere?

15. post κάλει videtur titulus ΜΑΡΤΥ. ΡΕΣ deesse.

723. 6. nunc maxime verosimile mihi videtur post ψεύδεσθαι deesse voc. διαπειραθεὶς. v. p. 721. pen.

727. 17. malim ἐγίνεσθε in imperfecto.

728. 2. 3. malim sic interpungi et legi. καὶ μαρτυρεῖν ἔξεσι δῆλῳ κατὰ τῦ ἐλευθέρυ, καὶ τὸν φόνευ [scil.

[scil. ἔξεσι] τῷ δεσπότῃ, ἂν δοκῇ, [scil. αὐτῷ] ἐπεξελθεῖν ὑπὲρ τοῦ δούλου. li tantum, ait, seruis defertur a legibus reip. nostrae, vt iis liceat aduersus ingenuos re- stari, item, si quis seruus interemtus fuerit a ciue, eumque ciuem illa de serui sui caede in ius vocare voluerit herus eius, vt id illi liceat: neque leniori poena homicida serui, quam ingenui, afficiatur: consentaneum fuerat etiam hoc de seruo legitimum iudicium haberi.

731. 3. malim sic legi ᾧ γε [Lycino puta] σαφέστερον αὐτὸς [in nominat. singul.] ἐμελλεν. redit αὐτὸς ad facinoris conscium, perlatorem literarum, ad quem eundem proximum quoque αὐτὸν redit.

5. ἀχ οἷόν τε] nequit scire, vel, non licet, vt eius scientiae committatur, breuiter, *non debet scire*, quae cum nescire e re nostra est. *man kan es ihm nicht wissen lassen*, id est, *man darf nicht*.

12. τῷ βασανισθέντι] id est, τῇ μηνύσει τοῦ βασανισθέντος.

733. 4. ἔχω] sententia postulat σύνοιδα. quo certi sitis (alloquitur iudices,) me mihi conscium non esse caedis praemeditatae in hoc homine Herode a me commissae. Et hanc lectionem in latinis meis expressi.

734. 18. videntur verba sic conuenientius ordinari posse. ἐ δῆτα, ἀλλ' αὐτὸ τὸ ἐναντίον. ἐκεῖνος τοῦτο — ἢ ἐγὼ ὑπὸ τούτου. τῷ μὲν γὰρ ἂν ἦν χρήματα, ἐμοὶ δ' ἦν. ἐπεὶ ἐκεῖνος γ' —

737. 5. ἔν] malim γὰρ. τούτῳ redit ad subiecta, ἂν ἐὰν — et ἀλλ' εἰ μή.

6. Possunt vtique ista duo ἀφανὴς ἐστι et ἀπόλωλεν diuersa esse. posterius caedem designat, vel modum caedis. prius modum, eum e conspectu hominum subducendi, iam peremtum, vt nusquam reperiri queat.

739

739. 12. ὁ ἀνὴρ ἀπήχθη] bene poteſt haec dictio, etiam ſine ἐκ, habere, hactenus, ſi non ſolitum illud ſupplementum τὴν ἐπὶ θανάτῳ ὁδὸν cogitatione adiungatur; ſed alterum paulo rarius inuentu, τὴν ἐπὶ τὰ οἴκοι, aut τὴν ἐπὶ τὴν οἰκίαν. reducebatur domum ſuam e carcere, tametſi iam vndecimuiris traditus eſſet.

